



Cf  
Sammelband 207

2.

INANIA  
SINGVLARIVM  
CLVGIANORVM  
**THEOLOGIÆ**  
**CARPOVIANÆ.**

---

AD  
AMPLIUS ILLVSTRANDAM ET  
DEFENDENDAM DOCTRINAM  
DE  
**CREATIONE**  
OPPVGNATAM  
IN VVLGV S EDIDIT  
M. IACOB CARPOV  
ILL. GYMNASII VINARIENSIS RECTOR.

---

LIPSIAE ET IENÆ  
IMPENSIS IO. ADAM MELCHIOR.  
M DCC XXXVIII.

INNIA  
SINGULARITATI  
CRAIGIA MORA  
THEOLOGIE  
CARPOVIANAE

Cic. Tusc. f. 10.

Acute disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit, videre.

CREATIONE

M. IACOB. GARRIO  
GARMINUS ANNALEBRI RECENS  
IMPERIIS IO. ADAM HESCHIO  
LITERIS ET SCIENTIAS



## LECTORI BENEVOLO

ET

## PRUDENTI

S. P.

**A**nnus iam est, & quod excurrit, ex quo To- *Quo sine au-*  
mum priorem Theologiae Reuelatae Dog- *tor Theolo-*  
maticæ, methodo scientifica adornatæ, *giam edide-*  
publici iuriſ feci. Non mihi in iſto la- *rit?*  
bore arduo animum, veritates Theologicas, ex  
S. Scriptura exploratas, & pro librorum symboli-  
corum auctoritate in Ecclesia nostra receptas, per-  
uertendi, immutandi, aut impugnandi, sed hoc  
propositum fuisse, ut dogmata religionis reuelatae  
distincte explicarem, legitime ex suis cognoscen-  
di principiis demonstrarem, & nexus earum ge-  
nuinum necessariumque, a nemine ante me per  
totam Theologiam publice ostensum, in lucem  
proferrem, abunde & sufficienter in dicti operis  
præfatione docui. Quemadmodum enim hæc  
via, ad innocentiam doctrinarum mearum de-  
monstrandam, expeditissima erat, sic eadem ope-  
ra & ratione non tantum iis, qui cupidam verita-  
tis systematicæ mentem gerunt, satisfieri, sed etiam

a 2

cavil-

P R A E F A T I O.

---

4

cauillationibus iniustis de Theologia scoparum dissolutarum instar cohærente obicem poni posse, arbitratus sum. Speciatim autem id etiam operam dedi, vt nemini in isto opere grauis, nemini iniūcious, aut iniūquus essem, sed, omni deposito sectorum aut partium studio, solam veritatem liquidam proponerem & defendarem; quamobrem tantum abeſt, vt altercationes inanes, aut confutationes Theologorum nostratium in isto quærens inuenias, vt eorum potius consensum, vbi utile esse iudicauī, claris verbis ostenderim.

*Approbatio  
eruditorum.*

Nec defuerunt Viri & eruditione, & candore animi clarissimi, qui, nulla fufurrorum de erroribus Theologicis insidiosorum ratione habita, conatui & instituto meo album calculum adiicerent. Nam Dnn. Goettingenses, a tramite veritatis dogmata mea nequaquam aberrare, quin potius primum me esse, cuius labore theorematæ religionis reuelatae in meliorem ordinem & nexus redacta sint, aperte profitentur <sup>a)</sup>). Hos secuti Dnn. Lipsienses, solicite me a dogmatibus æque ac terminis technicis nouellis abstinuisse, e contrario autem doctrinæ ecclesiæ nostræ constanter inhæſisse & *axiopœtias* Logicæ in definiendo & demonstrando fuisse diligentissimum, narrant, a stylis

---

<sup>a)</sup> In Abriß von dem neuesten Zustande der Gelehrsamkeit, 1. St.  
p. II2.

styli facilitate pariter librum meum commendantes <sup>b)</sup>). Quibus, ne de aliis iam dicam, addo Vironum supra laudes meas positum Doctissimumque Ludouici, qui de veritate & innocentia doctrinarum mearum repetitis vicibus testatus <sup>c)</sup>), vel nimium orthodoxiae studium quibusdam in Theologia mea, ut sine ratione, offensioni fuisse, ex epistolis ad se datis narrat, ut ipse, maiorem in dogmatibus antiquis solide defendendis, quam sine ratione & necessitate mutandis gloriam possum esse, rectissime mecum <sup>d)</sup> arbitretur <sup>e)</sup>.

Horum igitur virorum iudicio cum eo magis *Conarus auct.*  
*Horis veterior.*  
fides sit adhibenda, quo minus peritia, aut sinceritas studium iis denegari potest, sperans, fore, ut alii quoque eruditi exteri, lecto libro & intellecto, de veritate doctrinarum mearum & de innocentia instituti, noua eaque scientifica ratione Theologiam tractandi, conuincerentur, edita interea & in Gymnasio nostro Illustri publice defensa Dissertatione *de anima Christi hominis in se spectata* <sup>f)</sup>, ut Theologiae continuandae prodromo, post

a 3 labores

b) In Deutschen Actis Eruditorum CCXX Et. pag. 282. seqq.

c) In ausführlichem Entwurf der Historie der Wolffischen Philosophie 1. Th. §. 206. & 2. Th. §. 471. vi & in neuesten Merkwürdigkeiten der Leibniz-Wolffischen Welt-Weisheit §. 141.

d) In Comment. de Imputat. oraf. p. 1.:

e) In citatis neuesten Merkwürdigkeiten pag. 239.

f) Quæ contra illam Dissertationem notata fuerunt in Programmate Lipsiensi, ad memoriam nativitatis Christi anno 1737. pie recolens.

labores publicos priuatosque Gymnasiaſticos fui  
haſtenus in eo, vt Tomus Operis posterior pari-  
ter propediem publicae luci exponeretur; Vnde  
factum, vt magna illius pars typis iam sit excusa.

Dn. Clugius  
dinulgat fin-  
gularia.

Enim vero praeter omnem opinionem & ex-  
pectationem accidit, vt in conatu hoc innoxio  
remora mihi obiceretur. Nam Dn. CHRISTIAN  
GOTLIEB CLVGIVS, SS. Theol. Doctor, & Ec-  
clesiae VVittemb. Archi-Diaconus, quem tantum  
abest, vt vel minima offensa vnquam laeferim, vt  
ante edita *singularia* nec nomine, nec re mihi no-  
tus fuerit, paucō abhiinc tempore foras dedit:  
*Singularia Theologicae Carpoianæ in loco de cre-  
atione candide eruta, & amice discussa*, librum,  
postquam tandem qui venderet inuenit, vt singu-  
larium titulo exsplendescētem, sic a singularitate  
sua admodum commendabilem.

*Cur id fecer-  
it, de eo au-  
tor non di-  
scutabit?*

Non ego iam in id inquiram solicite & curio-  
sius, quid eum ad scribendum impulerit? Reperi  
in ipsis singularibus, quod Dn. CLVGIVS non  
tantum Philosophiæ Magistris, Theologica tra-  
ctantibus, admodum succenseat pag. 69, sed scri-  
ptionem etiam Systematis Theologici pro eius-  
modi habeat negotio, quod a Magistro artium  
neutiquam sit exspectandum, & in quo proinde  
mihi,

*dam exarato, ad ea respondi non ita pridem in Programmate de  
ratione autores classicos tractandi Gymnasiaſtica S. 2. pag. 4.\**

mihi, insula Theologica non donato, imbecillitas & imperitia profitenda fuisset pag. 150. Fieri igitur potuit, ut quemadmodum bene poëta g) canit:

Si natura negat, facit indignatio versum

Qualemque potest:

sic videnti Systema Theologicum, a Philosophiae Magistro, idque noua, nec hactenus in Theologicis recepta methodo elaboratum, se ipsum autem, SS. Theologiae Doctorem, nullis aut exiguis tantum ingenii monumentis clarum esse, cognoscenti, ipsa indignatio singularia extorserit. Annon enim Doctores Judaici etiam & Sacerdotes, in cathedra sedentes Mosis <sup>h)</sup>, inique tulerunt adplausum populi, quem apostolis <sup>aygappauros nej idiotas;</sup> non sibi accidere, videbant <sup>i)?</sup> Annon indignatione moti silentium ipsis imponebant <sup>k)?</sup> At fieri etiam potuit, ut, edito singulari singularium specimine, ad altius honorum fastigium sibi viam parare, odioque in id, quod multis iniuriam est, publice declarato, aliorum sibi animos conciliare, fuerit conatus. Quoniam autem haec nihil ad rem faciunt, non illa tribuam Dn. Clugio, nec de veritate illorum disputatione, de ipsis potius singularibus verba paucis facturus.

Ni-

g) Iuuenalis Satyr. I. 79.

h) Math. XXIII, 2.

k) Act. IV, 18, 21.

i) Act. III, II. IV, 2, 13,

*Cur singula-  
rium rubrum  
nigro non  
respondeat,  
ratio 1.*

Nigrum eorum neutiquam respondet rubro. Quamvis enim nomen gerant *singularium Theologiae Carponianæ*, in toto tamen libro non inueni definitionem eius, quid Dn. Clugius singulare dicat? At quia nihilominus ex definitione *singularis*, hoc vel illud *singulare* esse ostendendum erat, nullum plane *singulare Theologiae meæ* a Dn. OppONENTE probatum esse, non potest non sequi. Quin potius tanta notionis *singularium* obscuritas est, ut modo vitia adparentia definitionis Logica an. 4. seqq. p. 3. seqq. modo definitionem sensu biblicam verbis biblicis expressam non esse an. 6. p. 8, modo quidquid ill. VVolffius non dixit an. 22. p. 39, modo definitionem causarum sociarum in Theologia Reuelata demonstrationis causa datam esse an. 1. p. 49, modo non-adlegatio loci biblici in thesi licet recte demonstrata an. 2. p. 96. an. 3. p. 98, modo quæstionem de possibili creatione ab æterno me celebrem vocasse an. 4. p. 100, modo inter mundum præsentem actua-lem, & alium possibilem tantum me distinguere an. 5. p. 101, modo de creatione mundi ab æterno possibili vel impossibili me iudicium suspendere an. 7. p. 111. & quid non? sub *singularium* nomi-ne lectoribus obtrudatur, parumque absit, quin quidquid in Theologia mea legitur, Dn. Opponentis sit *singulare* an. 1. p. 94. Evidem *singularium*

larium titulum mutuo cepisse videri vult praef. p. 16. ex Theologiae meæ præf. p. 19, ubi hoc in illa singulare esse dixi, quod nexus veritatum Theologicarum, vi cuius per modum principiorum & conclusionum cohærent, in illa debite ostensus sit. At non potest ista excusatio notionis obscuritatem tegere. Methodum enim, qua Theologiam meam concinnaui, singularem in illa esse dixi, quatenus nullum aliud Theologiarum systema eadem methodo erat adornatum; ast obiecta mihi singularia dogmatica non esse hoc sensu singularia, ipsa singularia ostendunt.

Deinde rubrum *singularium Theologiarum Carponianæ* copiam singularium, eorumque vitiosorum, quorum emendationem Dn. Clugius postulat p. 150, vel in unico capite, nescio, quantam? promittit. E contrario si librum euoluas legasque, vix tertiam illius partem mihi oppositam esse, crebras autem, & in longum protractas, aduersus VVolfium, Ribouium, Reinbeckium, Limborchium, Canzium, Kortumium, Dippelium, Chautinum, VVendelinum, alios disputationes inuenies, ut neficias, utrum per errorem, an odii Theologiarum meæ conciliandi causa titulo *singularium Theologiarum Carponianæ* liber denotatus sit?

Porro amicam & candidam h. e. sinceram discussionem meorum de creatione dogmatum ti-

ratio 2.

ratio 3.

*minutus minutus b* *minutus minutus* *tulus*

tulus libri spondet; prouti an. 8. pag. 150. etiam Dn. Clugius id imprimis se operam dedisse scribit, vt nihil haberem, quod vel in candore vel in amore eius desiderare iure quodam possem. Dabo igitur sinceritatis, in his singularibus Clugianis deprehensæ, specimen vnum & item alterum. Quæ in meras logomachias resoluuntur, ea ut res maximi momenti & errores grauissimi propoununtur (§. 22. sqq. §. 44. seqq.)<sup>1)</sup>. Res nullius momenti, e. g. quod in thesi vera, vereque ex principiis Theologicis demonstrata, locus biblicus non fuerit adiectus, sub infesto singularium nomine perstringuntur (§. 54. 93. 94.). Quæ ipse Dn. Dissentiens clarissimis verbis docet, mihi vitio vertuntur (§. 17. 52. 100.). Ex vtraque parte id, quod in se innoxium est, culpatur (§. 86. 87.). Verba non mea tantum (§. 112. 123.), sed etiam S. Scripturaræ mutilate exhibentur (§. 48.). Ad iudicem prouocatur, & ei tamen, qui, sed pro me, sententiam dixit, illuditur (§. 116. 117.). Conformatio Theologiae Reuelatae ad Philosophiam VVolfssianam mihi ubique & sine limitatione exprobratur, & nihilominus, ab Ill. VVolfso me secessionem facere, repetitis vicibus notatur (§. 128.). Taceo alia, quæ ipsa præsentis defensionis lectio docebit.

1) Paragraphi in his inanibus singulariū evoluuntur.

His

His candoris documentis plane similia illa sunt, quæ de animo amico reperi. Dum multas rerum Theologicarum definitiones, passim a Theologis datas, notiones abundantes esse dixi, ut sunt, si ad regularum Logicarum rigorem examines; dum doctrinam de anima Christi in se spectata amplius, quam adhuc factum erat, exponi & illustrari posse scripsoram, parum abest, quin vniuersum Theologorum coetum, ad famæ læsionem vindicandam, aduersus me Dn. Dissentiens conscribat, nil acerbius in Theologos dici posse pronuncians an. 2. pag. 2. & p. 147. seq. etiamsi ipse quoque meam de creatione definitionem claris verbis, licet falso, vitii abundantia insimulet an. 5. pag. 5. Ipso iudice, correptus & excæcatus sum amore Philosophiæ VVolfssianæ intempestiuo pag. 95. 68; nihil tam a sacris litteris & sobriæ principiis philosophiæ alienum in philosophia VVolfssiana traditur, quin ego illud in Theologiam meam Reuelatam transferendum putarim pag. 89; malo cum VVolfssio, sacras litteras per transennam adspiciente, errare, quam eum non sequi pag. 69; omne id, quod Dn. VVolfssium auctorem vel commendatorem habet, mihi celebre est, licet in se valde ridiculum & absurdum sit p. 101; caendum a Theologia Carpouiana pag. 88; eiusque auctor in principio Hermeneuticæ sacræ

b 2

inter-

ratio 4.

interpreti VVertheimensi adiungendus est p. 88; cum obtrectatione aliorum famam ego mihi parare volui pag. 148; imbecillitas mea & imperitia in rebus Theologicis coram PRINCIPE SERENISSIMO profitenda mihi fuit pag. 150; & parum abest, quin detestabilem me esse p. 148, & Theologiam ex diaboli suggestione accepisse & scripsisse, dicat pag. 149. Quibus omnibus accedit, quod actoris antea personam agens, & ad theologos iudices prouocans an. 3. p. 144, mox ipse iudicis induat habitum, & ad condemnandum me inauditum & indefensum pro auctoritate, quam sibi arrogat, progrediatur p. 150.

*Argumentum singula-  
rum generale.*

Quod autem ad ipsam tractationem attinet, inculpatio alia generalis, aliæ speciales sunt. Generalis est, quod, Dn. Clugio iudice, Theologiam reuelatam Dogmaticam ad sententias methodumque Dn. VVolffii conformauerim. Quam toties repetiit, ut repetendo adsensum extorsurus videatur lectoribus. Quemadmodum autem methodo scientifica, qua ill. VVolffius in Philosophia usus est, Theologiam Reuelatam Dogmaticam me, quoad fieri potuit, tradidisse & tradere voluisse, fateor, siquidem tantum abest, ut in eo quidquam peccatum sit, ut ad amplificandum cognitionis fularis lumen & veram religionem stabilieram & defendendam, ille conatus adprime faciat: sic e

con-

contrario in imputatione altera de conformatio[n]e Theologiæ Reuelatae ad sententias philosophiaæ Wolffianæ tam parum sibi Dn. Opponens constat, vt dubium esse videatur, vtrum studiose ipse sibi repugnare voluerit, an quid illa iniquoluat conformatio[n], non distincte percepit? Nam in doctrina de nihilo negatiuo & priuatiuo dissensum inter me & Ill. Wolffium ipse notauit an. 22. pag. 39; in doctrina de possibili mundi æternitate ill. VVolfium aduersus me sermocinantem in scenam produxit an. 6. pag. 109. seq. distinctionem meam inter mundum præsentem & alium ideo, quod eius ne minimum vestigium, ipso iudice, sit in scriptis VVolfii, reiecit an. 5. pag. 109; videndum mihi esse, quomodo cum Leibnitio in gratiam redam, & alia similia scripsit Dn. Clugius an. 2. pag. 97. Ex quibus omnibus, nullius me in magistri verba iurasse & solam veritatem, non auctoritatem humanam sectari, potius concludendum, quam efformatio Theologiæ Reuelatae ad sententias Philosophiaæ Wolffianæ sine vlla probatione mihi obtrudenda fuisset.

Quæ speciatim Dn. Clugius monuit, ea ad sex capita, quo-*Speciale*, rum primum de *mea definitione creationis*, alterum de *creatione mundi e nihilo priuatiuo*, tertium de *sermone Dei creantis proprie tali*, quartum de *communicatione potentia tretricis*, quintum de *possibili mundi æternitate*, sextum de eo agit, *quid de singularibus Theologie Carponiana sentiendum sit?* reduxit, etiam his multæ etiam alia quæstiones sint immixtæ.

Vt autem lector, quid de horum singularium indole sibi *Indoles eo-policeri queat*, facilius rectiusque perspiciat, vnum tantum *rum*, & item alterum ex iis ipsis specimen in medium proferam. An. 6. pag. 7. 8. Dn. Opponens docuit, si in enarratione rerum Theologicarum definitionibus terminorum Grammaticorum, Rheticorum, Philosophicorum opus sit, ad illam disciplinam, cuius proprii sunt, recurrentum, & ex illa eas petendas esse.

b 3

Hanc

Hanc optime constitutam regulam cum ego sequens, Theol. Reu. §. 923. definitionem causarum sociarum ex Philosophia dederim, vt exinde §. 924. tres Diuinitatis personas causas creationis socias non esse, distincte cognosceretur, & demonstraret recte, illud ipsum Dn. Clugio singulare & mira rerum Theologicarum & Philosophicarum permixtio est an. 1. pag. 49. Similem in modum Dn. Opponens repetitis vicibus, nec male postulat, vt demonstrationes Theologicae in Theologia Reuelata ex S. Scriptura dicuntur pag. 51. 96. 98. At quamvis ego, mundum praesentem in tempore, non ab aeterno creatum esse, nec potuisse ab aeterno creari, ex S. Scriptura demonstraverim Theol. Reu. §. 929. & ibid. Sch. in eo tamen peccasse dicor Dn. Clugio, siquidem is, Ill. Wolffium μελά πολλῆς φαντασίας aduersus me disputantem fingens, postulat, quod, non potuisse mundum praesentem ab aeterno creari, ex sola ratione demonstrari debuerit an. 6. p. 110. Addo tertium. Ill. Wolffius Theol. Nat. P. I. §. 775, proposuit propositionem: Potentia creatrix nulli enti a Deo communicari potest. Reprehendit hoc Dn. Opponens eo, quod non satis caute locutus fuerit, eandemque cum humana etiam Christi natura communicatam esse, negare videatur pag. 94. Hanc ego obiectiōnēm praevidens, Theol. Reu. §. 925. ita propositionem enunciai: Vis creandi est omni creaturæ nuda incomunicabilis. At ne sic quidem Dn. Opponenti recte locutus dicor. Nam per an. 4. pag. 53. 54. determinatio hæc: *nuda* omittenda fuisset, vt nescias adeo, quid Dn. Opponens velit, aut disputet? Et vt verbo dicam, in toto singularium Clugianorum opere ne vnicum quidem, quod mihi opponatur, momentum est, quod non futile, inane & tale sit, vt a Viro Theologo, nomine & officio commendabili, meliora & rectiora exspectasses.

*Cur auctor* His talibusque autem cum Dn. Clugius, maculam Theologa responderis? gis mea adspergere, eamque injuriam, & suspectam eruditis red-

reddere, iniquo conatu molitus sit, æquum esse, vt innocen-  
tiā libri defenderem & futilitatem obiectionum publice  
ostenderem, arbitratus sum. Quam quidem defensionem *Inania*  
*singularium Clugianorum* vocare placuit, quia quidquid in sin-  
gularibus mihi oppositum erat, inane, h. e. debito fundamen-  
to destitutum esse, deprehendi.

Quod vero ad ipsam hanc defensionem attinet, etiam si pau- *Indoles hu-*  
ca quædam ill. Wolffii adserita, quæ ad meam quoque Theo- *ius defensio-*  
logiam spectare videbantur, ab obiectionibus liberaui, vt plu- *nis,*  
rimum tamen quæ non mihi, sed aliis eruditis opposita fue-  
runt, tuto me tacendo præterire, putau, quia nulla mihi ne-  
cessitas, aliena defendendi, erat imposta. E contrario nihil  
eorum, quæ ad errores Theologie meæ obrudendos dicta erant,  
feci reliqui, quin sufficenter discuterem, id dans imprimis  
operam, vt seruato, ad item facilius dirimendam, modo dis-  
putandi Logico, eodemque, quo Dn. Opponens vsus est, ca-  
pitum ordine & titulo, & dogmata controversa nouis fulcimen-  
tis roborarem, & obiectionum futilitatem sine ambagibus in  
apricum ponerem.

At si quid forte pro veritate & necessaria defensione durius *Monitum de*  
dictum esse videatur Dn. Clugio, non dictum sed responsum *scribendi ge-*  
esse, cogitabit, quia nulla iniuria prouocatus læsit prior. Nam  
quia Dn. Clugius, etiam si candidi & amici Opponentis speci-  
em præ se ferre gesiat, totus tamen in eo est, vt inuisam su-  
spectamque Theologiam meam eruditis reddat, me ipsum ve-  
ro, vt rerum Theologicarum ignarum, amore autem Philoso-  
phia Wolffiana excusatum, traducat, qua de causa etiam vix  
sibi temperare potuit, quin illi, vt ante dictum, diabolicam ori-  
ginem aperte tribueret, me autem, licet nondum auditum, ad  
emendationem libri publice condemnavit, instigauitque alios,  
ad item a se motam prosequendam præf. pag. 16, quod eo ma-  
gis mirari conuenit, quo non leuiora tantum, sed alieniora eti-  
am

am a sana mente sunt, quæ opposuit; pro defensione necessaria veritas ita, vti est, sine verborum lenociniis a me propo-  
nenda erat, qui magis placido & tranquillo scribendi genere  
fuissem vsus, si in nuda obiectionum modesta formatione, vt  
agere quidem decebat, Dn. Opponens substitisset. Ita enim  
exemplo præiuerunt Dnn. Goettingenses, qui, licet varias ad-  
uersus Theologiam meam obiectiones formauerint, non tamen  
egressi modestia limites, a libri diffamatione & contumelia  
mei sapienter abstinuerunt; qua de causa ita etiam iis, vti eru-  
ditorum disceptationes agitari fas est, & ne habeant, quod in  
modestia desiderent, respondi, qui ne respondissem iam qui-  
dem, nisi fuissem ad illud a Dn. Clugio prouocatus. E con-  
trario autem fateor, me non capere, quo iure Philosophiaæ  
Wolffianæ ofores licentiam sibi arrogant, Wolffio pariter ac  
omnibus illis, qui Philosophiam illius recte intellectam innoxia-  
m putant esse, errores grauiissimos inuitis per ridiculas obie-  
ctiones & peruersiones verborum obtrudendi, ostensa autem  
earum futilitate, argumentorum hiatus obrectationibus sup-  
plendi, defensoribusque ita pro lubitu probris ingestis insul-  
tandi, vt his ne mutire quidem, vel hiscere liceat, etiamsi res  
suas agentes, neque ex oppugnatione, neque ex obrectatione  
aliorum vanam querant gloriolam. Nam vt bene Imperator  
dixit, *hoc editum summam habet equitatem, & sine ciuusquam  
indignatione iusta (est), quod quisque iuris in alterum statue-  
rit, vt ipse (alter) eodem iure vtatur.*<sup>m)</sup>

Conclusio.

Quod restat, L. B. defensionem præsentem vt inuito extor-  
tam respice, Tomum autem Theologiae Reuelataæ posteriorem  
propediem exspecta, & vale. Dabam Vinariae d. 22. Aug. 1738.

<sup>m)</sup> pr. D, quod quisque iuris.

INANIA



INANIA  
SINGVLARIVM CLVGIANORVM  
THEOLOGIAE CARPOVIANAE.

CAPVT I.  
DE  
DEFINITIONE CREATIONIS  
CARPOVIANA.

§. 1.

**C**um teste Cicerone Off. l. i. c. i. *omnis, que a ratione suscipitur, de aliqua re institutio debeat a definitione vocet cre- proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, in Theologia Reu. Dogm. doctrinam de creatione traditurus, ante omnia definitionem illius proposui §. 918: *Creatio est actio, qua nihil priuatuum existens redditur, vel, ut dicunt alii, qua res producitur ex nihilo.**

§. 2.

Definitionem hanc variorum, a bonæ definitionis indeole *Institutum alienorum, singularium accusaturus Dn. CLVGIVS, & meam Dr. Clugii.* definiendi rationem generatim improbat, & varia adserit, qui-

A bus

bus modo dictam creationis definitionem speciatim oppugnet, argumenta ficalnea. De vtrisque curatius videndum est.

## §. 3.

*Finis & in-* Definitionum usus. & fines primariae duo sunt, alter ut definitio-  
*doles defini-* tum cognoscatur, & ab omnibus reliquis recte distinguatur, al-  
*tionum qua?* ter, ut principia dent demonstrandi reliqua, quæ de definito  
sunt cognoscenda. Quisquis rerum logicarum non plane ho-  
spes est, ille non potest non hoc concedere. Enim vero ex  
dato hoc principio, tot in definitione rei ponenda esse criteria,  
quot ad usum illum & finem duplicum sufficiunt, non plura,  
nec pauciora, sequitur. Paucioribus enim positis, finis, cuius  
obtinendi causa definitio datur, non obtinetur; plura autem  
ponendi ratio nulla est.

## §. 4.

*Quales so-* Rerum Theologicarum definitions in multis Systematum  
*leant esse de-* compendiorumque (quis enim, omnia me perlegisse, postu-  
*finiciones in-* labit?) cum principio hoc logico conferentes, aliam depre-  
*Theologicis?* hendimus definiendi rationem. Solent enim ita se habere,  
vt omnia, quæ de obiecto tractationis notanda sunt, momenta  
in iis explicite cumulentur, eademque adeo compendia totorum  
locorum sint, qui in Theologia veniunt pertractandi.

## §. 5.

*Cur aucter* Hanc ego, a plurimis receptam, definiendi rationem in  
*vulgarem* Theologia Reuelata Dogmatica missam feci, priorem, quam  
*definiendi* modo dixi (§. 3.), eligens. Vanda igitur est ratio instituti.  
*modum reli-* Per modum definiendi Logicum & memoria melius consuli-  
*querit?* tur & (ut dicunt) iudicio, vel, quod idem hoc loco valet, ratio-  
nis usui, nec tamen ullum damnum aut veritati ipsi, aut copiæ  
docendorum adfertur. Consultetur, inquam, memoria. Nam  
criteria rei primaria, ad eam agnoscendam & a reliquis omni-  
bus distinguendam sufficientia, ut plurimum admodum sunt  
pau-

DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA. 3

pauca; vnde definitio eiusmodi est breuis. Breuem autem definitionem facilius memorie mandari, & diutius menti impressam manere, quam talem, quæ multis sine necessitate ambagibus vtitur, quis dubitabit? Consultetur etiam facultati recte iudicandi. Dum enim ex breui eiusmodi, sed sufficiente definitione reliquæ affectiones rei per modum concludendi legitimum deriuantur, non solum perspicitur, qui inter ipsas veritates intercedit, nexus, sed vires mentis etiam in discente per istam exercitationem simul, ad nexus & relationem rerum ad se inuicem in aliis facilius perspiciem, habiliores redduntur; cum e contrario eiusmodi definitiones, in quibus omnia momenta rei cumulata & coagmentata sunt, qualis propositionum ad se inuicem relatio sit? quo pacto vna ex altera debeat deriuari? non ostendant. Denique nec ullum eiusmodi definitiones veritati damnum inferunt, aut copiam eorum, quæ discenda & cognoscenda sunt, minuunt. Quemadmodum enim veritas semper eadem manet, siue in definitione, siue per propositionis modum proponatur, ita, positis eiusmodi definitionibus breuibus, per modum propositionum quidem, quæ alii in ipsis definitionibus coagmentari volunt, proponuntur, neutiquam autem veritates ipse extra Theologiam eliminantur.

§. 6.

At hæc definiendi & docendi ratio, quam rectæ rationi morem gerens, non potui non eligere, Doctissimo Dn. CLVGIO displiceret. Præmissis enim anim. 1. 2. p. 1. 2, quæ partim aperte falsa, partim ex argumento ab inuidia petita, & hinc responsione indigna sunt, dum neque *definitiones aliorum Theologorum* vñquam *ineptas* vocavi, neque notiones, in multis libris Theologicis deprehensas, *abundantes* vocando in Præf. Theol. Reu. Dogm. pag. 18. famæ detraxi Theologorum, nec acerbi quidquam in eos dixi, siquidem de definitionibus aliorum senten-

*Solutio obiectionis contra auctori-  
vis modum definiendi in  
genera.*

tiam modeste dicere, mihi æque licebit, ac Dn. CLVGIVS, meam de creatione definitionem sub regularum Logicarum limam reuocandi, sibi porestatem arrogat, & si quid in Theologos acerbi est, quod multorum definitiones abundantes dixerim, Dn. CLVGIVS quoque, meam de creatione definitionem abundantia accusando anim. 5. p. 5, præbuit se in me acerbū, etiam si amicam disceptationem fuit pollicitus Præf. p. 15: ea, quæ Mathematicorum competunt definitionibus, perperam me ad morem definiendi, in scholis Theologorum vstatum, transferre, obiicit. Constat enim ex Logicis, ait, quod pro varietate rerum & disciplinarum definitiones varie consitui soleant. Et paulo post pergit: Sicut definitio vere proprieque sic dicta, oratione constat, quæ accuratam plenamque ipsius rei, termino comprehensæ, continet explicationem, ita definitiones Theologicae tunc demum recte se habent, quando omnia illa, quæ Scriptura Sacra de re quadam cognoscenda tradit, velut in compendio exhibent & ob oculos proponunt.

Dicat, quæso, qua ratione in hiis contra me concludat? Si ita:

Si definitio, vere & proprie sic dicta, est oratio, qua accuratam plenamque rei, termino comprehensæ, continet explicationem: definitiones Theologicae tunc demum se recte habent, quando omnia illa, quæ Scriptura S. de re quadam cognoscenda tradit, velut in compendio (enarrata) exhibent, & ob oculos ponunt;

Sed verum est prius. E. & posterius;

Porro:

Si definitio Theologica tunc demum se recte habet, quando omnia illa, quæ S. Scriptura de re quadam cognoscenda tradit, velut in compendio (enarrata) exhibet, & ob oculos ponit: male Carpouius ea, quæ Mathematicorum competent definitionibus (puta breuitatem), ad definitiones Theologicas, vel ad morem definiendi, in scholis Theologorum vstatum, transstulit. Nam mos definiendi mathematicorum,

rum,

## DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA.

rum, i. e. naturalis logicæque conformis, in eo repugnat Theologico, quod omnium momentorum enarrationes & coagitationes nec postulet, nec admittat (§. 3.).

Sed verum est prius per syll. præced. E. & posterius; antecedens Syllogismi primi non sine ambiguitate est. Per accuratam enim plenamque rei explicationem aut intelligit notionem, quæ, ad rem a reliquis omnibus semper distinguendam, sufficit, etiamsi non omnia rei momenta omnesque illius affectiones in illa enarratae sint, h. e. completam, aut talem, in qua omnia de re cognoscenda momenta coaceruantur, h. e. abundantem. Si prius, nego Syllogismi consequentiam, quia definitio Theologica potest notio completa esse, etiamsi non omnia illa, quæ S. Scriptura de re quadam cognoscenda proponit, velut in compendio coaceruata ob oculos ponat, sed principium tantum, vnde reliqua demonstrentur, contineat. Si posterius, nego antecedens, & postulo illius demonstrationem, quam tunc dabit Dn. Aduersarius, quando Logici, ne errasse videatur, sanæ rationis vsum eierabunt. Nam, vt paucis me expediam, ipse Dn. Opponens *tales definitiones, in quibus nihil redudet vel abundet, postulat anim. 5. n. 4. p. 4.* Primum sic igitur istum, quo mea definiendi ratio petebatur, declinavi.

### §. 7.

Non prosperiori fortuna Dn. CLVGIVS vtetur, vbi obiectio-  
nes, quibus meam de creatione definitionem speciatim impu-  
gnauit, examinavero. Nam quamuis, difficultates augendo,  
inuenisse sibi videatur, non quod pueri clamitant in faba se re-  
perisse, singulis tamen discussis, vbique ipsum aërem ferire &  
lauare laterem, oppido constabit. Obiicit anim. 5. n. 1. p. 3:

*1. In definitione genus proximum ponendum, & remotiori pra-  
ferendum est; ipso Wolffio consentiente Log. Lat. §. 190.*

A 2

A 3



*At in nostra definitione creationis, quod sit actio, qua nibil pri-  
uatum exsistens redditur, genus quidem adest, sed non proxi-  
mum.*

*Non enim Dn. Differentiens intelligit, qualis sit actio, commu-  
nis an singularis? naturalis an supernaturalis? nec cuius  
ea sit, Deine, an angelorum, an alterius subiecti?*

*E. definitio illa non habet se recte, vel, ut verbis CLVGLIANIS  
vtar, habet aliquid singulare.*

Ad regulas autem definiendi Wolfganas contra me prouocans, ad hanc etiam attendere debuisset, quod in definitione enumerari debeant notæ nec plures, nec pauciores, quam quæ ad rem definitam agnoscendam & ab aliis semper distinguendam sufficiunt. Vid. ill. Wolfii Log. Lat. §. 153. Vnde sequitur hec specialior, quod quæ per modum theorematum, ex notis, in definitione positis, demonstrari possunt & debent, non debeant in definitione poni; idque eo minus, quia quæ demonstratio opus habent, sine demonstratione sumenda non sunt, definitions vero sine demonstratione sumuntur. Ita enim imbecillitatem obiectionis, vel non monente me, perspexisset. *Creationem enim esse actionem solius Dei, non alias subiecti, es-  
se actionem supernaturalem, non naturalem, esse actionem, o-  
mnibus tribus Deitatis personis communem, theorematum sunt, quæ  
ex collatis inter se definitionibus pluribus demonstrari possunt  
& debent, neque adeo sine probatione adsumenda in definitio-  
ne sunt. Quamobrem eadem locis conuenientibus The-  
ologia Reu. Dogm. primum §. 921. 925. secundum §. 926. tertium  
§. 922. demonstrata dedi, sed sine demonstratione in definitio-  
ne adsumendo, ad regulas Logicorum offendissem. Quoniam  
igitur, dum vna æque ac altera definiendi regula ex sanæ ratio-  
nis dictamine proficiuntur, nemo qui sanæ mens est, postu-  
labit, ut ynam tenendo transgrediamur alteram, recte a me*

pro

## DE DEFINITIONE CREATIONS CARPOVIANA. 7

pro genere proximo posita est *actio*, & limitando propositionem argumenti maiorem ita:

*In definitione ponendum & remotiori preferendum est genus proximum, sed ita, ne theoremata definitioni ingerantur, tota corruit haec obiectio.*

SCHOL. Dn. Opponens ut generis proximi, sic *differentiae Monitum de proxime etiam, in definitione ponendæ, mentionem facit an. 5. differentia p. 3.* Per quam quid intelligat, intelliget ipse me rectius. *No proxima, lui autem verbum captare, quoniam absque illo sufficienter poterat obiectio declinari.*

### §. 8.

Obiicit 2. anim. 5. n. 2. p. 4.

*In definitionibus non vtendum est terminis nisi propriis & si minis obscuris; & vtendum est terminis claris, non obscuris.*

*At in definitione nostra de creatione, quod sit actio, qua nihil prius, vagis priuatuum redditur existens, non adsunt termini proprii, nec fixi, nec clari, sed obscuri. E.*

Vnde, quæso probatur es minorem? *In definitione, inquis, tua addibita est vox: nihil priuatuum, & illa quidem Theol. Reu. Dogm. §. 918. Schol. definita est, sc. quod nihil priuatuum sit tale, quod non est quidem, sed esse tamen potest; sed rationem mibi expeto sufficientem, cur id, quod non est quidem, esse tamen potest, nihilum voces priuatuum? nec enim vel origo vocis, vel usus ipsum docet significatum.* Ridiculum argumentum! Ita enim concludit Dn. Opponens:

Quicunque rationem denominationis termini, definitionem ingredientis, at satis explicati, non dat, ille in definitione ipsa terminis nec fixis, nec claris, nec propriis, sed vagis, obscuris, impropriis vtitur.

Sed auctor Theol. Reu. rationem denominationis nihil priuatui in definitione creationis, licet satis explicati, non dedit.

Ergo

Ergo is in definitione creationis terminis nec fixis, nec claris, nec propriis vsus est, sed vagis, obscuris, impropriis, Falsitas maioris tam euidens, tamque aperta est, vt verear, ne quid terminum fixum, proprium, clarum adpellemus? Dn. Opponens ignorauerit. An nullus tibi terminus *clarus* est, nisi cuius etymologiam habeas perspectam? An igitur ipse terminus: *at* tibi adhuc obscurus est, quia de etymologia eius nihil certi inter eruditos constat ( Theol. Reu. Dogm. §. 483. Sch.)? Termini claritas ex eo iudicanda est, an notio clara eidem respondeat? Conf. Wolff. Log. Lat. §. 8t. Clara autem est notio, quæ nobis notas exhibet, ad rem agnoscendam atque ab aliis discernendam sufficietes l.c. §. 80. Enim vero de nihilo priuatius dedi definitionem Theol. Reu. §. 918. Sch. atque adeo notio adeat distincta. Sed notio distincta simul est clara. Ergo de nihilo priuatius notio adeat clara. At obscura notio claræ opponitur contradictorie. Falsum est igitur, in definitione creationis, a me data, *t*u nihil priuatuum terminum obscurum esse, quia notio clara eidem respondet. E contrario Dn. Opponens, ob non allegatam de nihilo priuatius rationis denominationem, definitionem creationis obscuritatis accusando, ignorare se ostendit, ex quo principio claritas termini aestimanda sit? Nam tantum abest, vt illa ex etymologia iudicari debeat, vt huius licet ratione indicata, tamen terminus possit obscurus esse. Annon Gallo Polonoue e.g. terminus *Eisen-Fresser* obscurus esse potest, etiamsi ab *Eisen & fressen* eum descendere videat? Par est ratio momentorum reliquorum. Dum termino: nihil priuatuum in definitione creationis v. sum, illudque per id, quod non est quidem, sed esse tamen potest, definiui, dubito, an somniando quis de terminorum significatu *improprio* cogitare possit? Ostenderet enī ea ipso, quid significatus proprius termini, vel improprius sit? ex rhetorica se ignorare. Denique terminus significatum

fixum

## DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA. 9

fixum habet, si notio inuariata ei constanter respondeat. vid. Wolff. Log. Lat. §. 129. Significatus enim terminorum fixus inconstantiae loquendi est oppositus. Ridicula autem est consequentia Dn. Opponentis:

*Auctor Theologie Reuelate non dedit rationem denominationis de nihilo priuatiuo. E. in definitione creationis, vel nibili priuatiui inconstantie loquendi accusandus est, vel non dedit fixum terminis significatum.*

Si terminus: nihil priuatiuum mihi non fixus, sed vagus est, ostendat Dn. Opponens loca Theologiae Reuelata, vbi eodem termino non pro mea, sed alia definitione vsus sim. Quod fieri non posse, certo conuictus sum. At, inquit, *cur non addita est ratio denominationis?* Theologica & metaphysica non satis ipsum discernere posse, hac quæstio indicat. Doctrina de nihilo, deque ratione denominationis nihil priuatiui & negatiui ad metaphysicam, non ad Theologiam pertinet. *Quamobrem in hac solam, qua ad obscuritatem dispellendam opus erat, explicationem termini dare, sufficiebat.* Dabitur autem in sequentibus de illo agendi locus,

### §. 9.

Sequitur obiectio 3. anim. 5. n. 3. p. 4:

*Vnius rei una tantum est vera, perfecta & essentialis definitio, duas diuer-  
licet non ratione verborum, tamen ratione notionum. An auctor  
Sed auctor Theologie Reu. duas dedit creationis definitiones, al-  
teram §. 910: Creatio est actus Dei, per quem nihil existens  
redditur; alteram §. 918: Creatio est actio, qua nihil priua-  
tiuum existens redditur. Ergo.*

Aquam cribro haurit Dn. Opponens. Vnam dedi creationis definitionem §. 918, non duas. Quod §. 910. positum est, est propositio, per modum axiomatis, vt concessa, theses demon- strandæ causa adsumpta, non definitio. Nego igitur minorem

B

& po-



& postulo illius probationem, quæ ad Calendas Græcas dabitur. Quod cum ita sit, quidquid huic dubio superstructum est, nubeculae est instar cito peritura.

## §. 10.

*An nostra definitio creationis aliquid redundantis contineat?*

Succedit iactus 4. anim. 5. n. 4. p. 4. 5.

*In definitione non debet aliquid redundantis esse. Quod si igitur definitio creationis §. 910: Creatio est actus Dei, per quem nihil existens redditur, perfecta est, ut nihil eorum, que ad essentiam rei cognoscendam, vel ab aliis discernendam pertinent, vel redundet, vel deficiat, in definitione altera §. 918. terminus: priuatuum est redundantans.*

Error hic errorem trudit. Negaui enim, §. 910. datam creationis definitionem esse (§. 9.). Hoc igitur principio falso cum noua hæc obiectio nitatur, diruto fundamento ædibus coruentibus similis est.

## §. II.

*An sit definitio angustior?*

Audi impetum 5. anim. 5. n. 4. p. 5:

*Definitio non sit angustior definitio suo, quia alias reicienda est. Sed definitio creationis, quam auctor Theologie Reu. suppeditauit: creatio est actio, qua nihil priuatuum existens redditur, definito suo est angustior. Ergo.*

Vnde probas minorem?

*Exinde, inquis, quia illa ad creationem proprie sumptam in sensu strictiori quidem, b. e. illam, qua immediate nihil existens redditur, non ad eam autem, que in sensu latiori talis est, b. e. illam, qua ex materia preexistente quidem, sed inhabili, mediante autem illa, ex nihilo aliquid existens redditur, potest adPLICARI. Nam quia definitio ista creationis ad priorem speciem tantum creationis proprie adPLICARI potest, non ad posteriorem, est angustior definitio.*

Egregium acuminis specimen! Annon tamen immediate & mediate in definitionibus creationis proprie sumptæ in sensu strictiori

## DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA. II

etiori & latiori Theol. Reu. §. 918. Schol. sibi inuicem opponi vides? Ut melius res in oculos incurrat, definitiones sibi inuicem subordinabo, & generalem ad speciales applicabo:

Creatio est actio, qua nihil priuatuum redditur existens.

Creatio (propria) in sensu stricto est, qua nihil priuatuum immediate redditur existens.

Creatio (propria) in sensu latiori est, qua nihil priuatuum mediate redditur existens.

An satis res ita ad captum accommodata est? An ita definitio generalis ad utramque speciem est applicabilis? an angustior definitio? At quo mediante, inquis, in creatione propria, sensu latiori sic dicta, nihil priuatuum existens redditur? Scilicet mediante materia praexistenti, sed inhabili, quæ antea nihil fuit. Ita enim adest 1. nihil priuatuum, 2. materia inhabilis, 3. creatura perfecta, vt illa inter istud & hanc intercedat. Quo se habente ita, vt clarissime dicere, quod res est, definitionem *creationis proprie in latiori sensu* ita in Theol. Reu. §. 918. Sch. posui: *Creatio propria in sensu latiori est, qua ex materia praexistente quidem, sed inhabili aliquid immediate existens redditur, mediante autem illa materia ex nihilo; nil suspicatus fore, vt quis nimiam definitionis generalis de creatione angustiam inde extorqueret.* Sed quid multis de hoc disputare refert? Ipse Dn. Opponens anim. 9. p. 21. clarissimis verbis scripsit: *Quedam immediate ex nihilo produxit creator, quedam mediate, scilicet adhibita materia, quæ paulo ante nil fuit, imo propter inertiam suam & ineptitudinem non immerito pro nihilo habetur; proindeque non dubiorum, sed cauillationum se auctorem esse prodidit,*

### §. 12.

At ne quid ineptiarum desit, definitio, quæ modo nimis an- *An latior?*  
gustæ falso insimulata fuit, simul est quoque 6. nimis lata. Ita  
enim Dn. Opponens anim. 5. n. 4. p. 5.

*Definitio non sit latior suo definito.*

*At auctor Theol. Reu. creationem improprie denotare docet Theol. Reu.*

*S. 918. Sch. nouæ qualitatis in subiectum introductionem, qualis est regeneratio, renouatio Ps. LI, 12, vel productionem miraculorum Num. XVI, 30; & nibilominus renouatio & miraculorum productio, e. g. dum caco visus redditur, est actio, qua nihil priuatuum existens rediditur; quia utriusque definitio nibili priuatui Carpouiana competit.*

*Ergo definitio illa de creatione, quoniam ad id etiam quod improprie creatio dictum est, potest applicari, est nimis lata.*

Sinistrum verborum interpretem Dn. Opponentem esse, hoc argumentum prodit, *Dum enim, improprie creationem a me vocari videt, introductionem nouæ qualitatis in subiectum, qualitas autem affectio, aut, si maius, accidens est, cui opponitur substantia, ex oppositione secundum regulas recte interpretandi perspicere potuisse & ante item motam debuisse, creationem proprie dictam ad substantias a me referri. Qua ratione amplitudo, definitioni obiecta, oppido evanescit. At, si potuit, noluit ita mentem meam interpretari, vt, cumulando obiectiones fruolas, laudibus superius & ære perennius candoris monumentum exigisse, imperitus videretur.*

### §. 13.

Accedit Dn. Opponens ad dubium 7. anim. 5. n. 5. p. 5:

*Definitio præbeat fundatum, soluendi omnia dubia, qua ratione definiti occurrant.*

*At si quis dicat, concedere se quidem haud iniustum, quod mundus ex nihilo priuatuo ortus sit, illud autem a se negari, quod ante mundum conditum prater Deum omnino nihil existiterit; dubium hoc ex definitione creationis, quod sit actio, qua nihil priuatuum existens rediditur, non potest solvi.*

*Ergo definitio illa non habet se recte.*

Respondeo per instantiam. Dn. Opponens p. 8. aliam suppeditauit creationis definitionem:

Crea.

DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA. 13

Creatio est actus voluntatis divine, quo vocavit ea, que non erant, ut essent; vel, quo praecepit, ut existarent, que non erant.

Postulo, ut ex hac sua definitione scrupulum obiciendi, quem singit, dictum eximat, h. e. ut ostendat ex illa, ante hunc mundum conditum praeter Deum omnino nihil existisse. Quod simulac fecerit, ego idem ostendam ex definitione mea. Si non potest, quid idem postulat a me? An Theologia Doctor non iisdem tenetur Logicorum regulis, quibus Philosophiae Magister? At non posse id Dn. Opponentem, p. II. non obscure fassus est eo, quod nil quidquam ante actum creationis Mosaicae praeter Deum existisse, probaturus, non ad suam de creatione definitionem, quam mihi obtrusurus est, sed ad verba Mosaica: *In principio creauit Deus celum & terram, confugiat.* Ita enim is ibi: *Fat aliquid existisse ante hunc actum, quem Moses verbo בְּרֹא indicat, quo pacto cum existimas scribere posuisse, Deum creasse in principio celum & terram?* Ut igitur melius in oculos incurrat, quanta cum ἀναβείᾳ Doctissimus Dn. Opponentis argumentatus sit, formo aliud exemplum simile:

Scribere est voces certis signis exprimere. Vid. Tract. no-  
ster de perfectione linguae §. 43.

Atqui ex hac definitione ostendat non potest, ante scripta sin-  
gularia Clugiana nullum aduersus Theologiam Carpouia-  
nam scriptum eristicum in orbe eruditorum fuisse,

Ergo definitio rē scribere non habet se recte.

Quid sentis, Dn. Opponens, de hoc ratiocinandi modo? Si ad-  
probas, ostendas, quæso, modum concludendi esse legitimum.  
Si improbas, memineris, illum hunc esse, quo tu vteris. Eo-  
dem enim modo concludis:

Creare (secundum definitionem Carpouianam) est nihil pri-  
matuum existens reddere.

B 3

Atqui

Atqui ex hac definitione ostendi non potest, ante mundum hunc creatum præter Deum omnino nihil exstisset.

Ergo illa definitio non habet se recte.

Scilicet quam facetum est, ex mera definitione scriptionis in genere ostendere velle, quod ante Clugiana singularia nullum aduersus Theologiam meam in eruditorum manibus scriptum eristicum fuerit, tam ridiculum est poscere, vt ex mera definitione creationis in genere, quam dedi, non speciatim huius mundi, ostendatur, ante hunc mundum creatum nihil præter Deum exstisset. Interea iam ego, de obiectionibus remouendis tantum sollicitus, non curio ipsius rei demonstrationem, ad dogmatica potius pertinentem.

§. 14.

*An possit conuerti?* Nondum ad finem obiectionum tela redacta est. Sequitur dubium 8. anim. 5. n. 6. p. 6:

*Omnis definitio debet posse conuerti.*

*Sed nostra definitio creationis conuerti nequit.*

*E. illa definitio minus recte se habet,*

Vnde constat minor;

*Etiam si dicatur: creatio est actio, qua nihil priuatuum existens redditur, non tamen recte dicitur: Actio, qua nihil priuatuum existens redditur, est creatio:*

*Cur non?*

*Datur actio, qua nihil priuatuum existens redditur, que non est creatio.*

Vnde hoc probas?

*Resuscitatio mortuorum est talis actio.*

Vnde hoc constat?

*Valent. Velthemi: morte naturali, inquit Inst. Met. p. 253, homo abit in nihil priuatuum, non mere negatum. Fit enim ex homine cadaver.*

Sic-

DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA. 15

Siccine hæc sufficiunt? Vnde porro probas, Velthemium voce: nihil priuatuum eodem significatu h. l. usum esse, quo nos? Sed id nunquam probare potes. Nam nihil priuatuum Velthemi *l. c. p. 254.* est principia & elementa (corporis) aut materia, ex qua erat compositum; nobis autem id, quod non est, esse tamen potest. Theol. Reu. §. 918. Sch. Visus igitur iterum deficit in proximo & tota hæc obiectio imperitiam Logicam ostentat. Definitio debet quidem conuerti posse, sed pro eodem, non pro diuerso significatu vocabulorum. Dn. Opponens autem vocabuli: nihilum priuatuum significatum mutans, illoque mutato negans, quod conuersio fieri possit definitionis legitima, aut Logica præcepta non recte se intellexisse prodit, aut ludit rebus, quas cum grauitate Theologum tractare decebat, seriis.

§. 15.

Superest ictus aduersus definitionem ultimus q. anim. 5. An nominalis? & an  
n. 7. p. 6. ideo reucci-  
*Definitio realis preferenda est nominali.* enda fut?  
*Sed definitio Carpoiana de creatione Theol. Dogm. §. 918. est nominalis.*

Quid inde? An igitur definitio nominalis creationis omittenda fuit, quia realis nominali præstat? Quæ hæc consequentia est? Cur tam ridicula in medium proferuntur? Deinde dic, quæso, qualis tua sit definitio p. 8: *Creatio est actus voluntatis diuina, quæ vocavit ea, quæ non erant, ut essent?* Sitne nominalis, an realis? Si nominalem dicis, cur mihi obiicis, datam a me definitionem nominalem esse? Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum. Si realem, ostendas, vbi in illa nota vel vestigium ad sit modi, quo fieri potest, vt non existens vocetur existens. Si prouocas ad id, quod actus voluntatis diuinæ in illa mentio fiat, nil dicis singulare, quia solo voluntatis suæ actu Deum mundum creasse, ipse ego Theol.

Reu.



Reu. §. 920, demonstravi, ex quo facile formari posset definitio realis. At nec nostra creationis definitio nominalis est, si Dn. Opponentem audias. Nam opus creationis per eandem nec agnoscit satis, nec ab aliis operibus discerni potest. Vnde hoc constat? E superioribus id iam patre, adserit Dn. Opponens. At superiora omnia inania & nebulae dissipatae simillima esse, qua omnia membra abunde ostendi. Quamobrem salua manet, quam dedimus, definitio creationis.

## §. 16.

*An auctor Animaduersione VI. p. 7. 8. disputat Dn. Opponens, unde definitiones, meam creationis definitionem baserim? Adprobat sententiam, in Theologia in præfat. Theol. Reu. p. 16. propositam, quod definitiones petitas ephiphaticas in Theologis ante omnia ad usum loquendi Scripture S. accomodanda sint. E contrario dum definitiones earum rerum, de quibus eas, vtut in Theologia necessariae sint, ex S. Scriptura petere non licet, ex philosophia desumendas dixi, querit 1. quo iure definitiones, e Philosophia sumptas, adpellem Theologicas? 2. quo iure eas constitutam in tradenda Theologia reuelata principium demonstrationis? simulque, quod ad prius attinet, explicationes vel definitiones multorum terminorum Grammaticorum, Rhetoricorum, Philosophicorum, quales e. g. sunt persona, essentia, accident, substantia, perspicuitas, obscuritas, in evarratione rerum Theologicarum ex iis disciplinis quidem, quibus proprii sunt, petendas, at eiusmodi definitiones Grammaticas, Rhetoricas, Philosophicas, non Theologicas esse, neque adeo terminos in S. Scriptura, vel in tractatione rerum Theologicarum abuios cum definitionibus Theologicis confudisse, contendit. Falsa hic lectori, mihi vero, quæ nunquam in mentem venerunt, neque ex libro meo constant, obtruduntur. Ostendas, quæso, si potes, Dn. Opponens, vbinam definitiones, ex Philosophia petitas, & in Theologiam methodi causa translatas, Theologicas dixerim? Lege iterum & relege verba, & nec volam*

volam inuenies, nec vestigium. Ita se verba mea habent Praef. p. 16: *Vnde, inquis, definitiones illae in Theologicis defumende sunt?* non ita, ut mihi obtrudis: *Vnde definitiones Theologicae defumende sunt?* Definitio autem in Theologicis & definitio Theologica, me iudice, non sunt idem. Ille enim terminus latior est, & tam de definitionibus Theologicis in se, quam Philosophicis, methodi causa in Theologiam ex Philosophia adsumptis, dici potest, hic angustior. An vero putas, *definitionem in Theologicis*, vt mea se habet dictio, & *definitionem, in tractatione rerum Theologicarum obuiam*, qui tuus est flosculus, non idem denotare? Non ego igitur confudi, sed tu confundis distingueda, dum, *definitionem in Theologicis nominantem*, me Theologicam definitionem dixisse, putas & perhibes, non mihi, sed tibi noxiis.

## §. 17.

Dum autem 2. quæris: *quo iure definitiones, e Philosophia Quo iure sumpsa, in tradenda Theologia revelata principium demonstratio-*  
*definitiones, nisi constituantur?* ex tuis ipsis verbis responsonem petas, velim. *e philosophia sum-*  
*Concedis enim p. 8, si definitione terminorum Philosophicorum pbia sum-*  
*in Theologia Revelata tradenda opus sit, ad illam disciplinam, cui pta, fiant*  
*proprii sunt, recurrentum, e. g. e Rhetorum scholis desumendas principium*  
*esse definitiones de perspicuitate & obscuritate scripti in genere, vbi tiosis in*  
*de perspicuitate S. Scripture agatur.* Dum igitur ex disciplinis *Theologia?*  
*Philosophicis definitiones terminorum Philosophicorum in*  
*Theologia petendas esse, vbi opus sit, concedis, fateris etiam,*  
*quod inde petenda sint, vbi, ad demonstrationem dogmatis*  
*Theologici rite formandam, principiorum loco iis opus sit.*  
*Nam vbi ad demonstrationem iis opus est, sane iisdem est opus.*  
*Te ipso igitur id, quod ego adserui, docente, non est tibi ex*  
*me quærendi ratio, quo iure illud fiat?* cum idem ex te quæ-  
*rendi mihi par ius sit. Nam vt statuit Imperator pr. D. quod*  
*quisque iuris: hoc edictum summam habet equitatem & sine cu-*  
*iusquam*

C

*iusquam indignatione iusta (est), quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ille eodem iure viatur. Eo minori autem iure ex me illud queritur, quia publice de eo sententiam proposui in Theol. Reu. Praef. p. 16.*

§. 18.

*An nostra de-*  
*finiatio crea-*  
*tionis bibli-*  
*ea sit?*

Sed ista, quasi aliud agendo, disputans Dn. Opponens, reuertitur ad definitionem meam creationis, unde illa sumpta sit? sciscitus p. 8. De hoc quidem satis sum certus, quod ex operibus Dn. Opponens, ante edita singularia mihi ignoti, non hauserim. Arbitratus autem pro sua sapientia, eam non ita: *Creatio est actio, qua nihil priuatuum existens redditur, sed ex Rom IV, 17. Ps XXXIII, 9. CXLVIII, 5. Apoc. IV, II. ita po-*  
*nendum fuisse: Creatio est actus voluntatis diuina, quo vocavit ea,* quæ non erant, ut essent; vel, quo pracepit, ut exsistarent, quæ non erant. Ita enim biblicam futuram fuisse definitionem; cum et contrario singulare in Theologia Carpioniana sit, quod auctor biblicam definitionem, quæ potuerit haberi, pretermisserit, & suam adoptauerit. Inane hoc est singularium, nodum in scirpo quaren-  
*tium. Ipse Dn. Dissentiens pag. 4. concessit, unam esse unius*  
*rei definitionem notionibus, licet non iisdem verbis. Enim vero*  
*verba quidem diuersa sunt: non existens existens vocare, preci-  
 pere, ut exsistant, quæ non erant, & nihil priuatuum b. e. id, quod  
 non est, sed esse tamen potest, existens reddere. At eandem no-*  
*tionem illis dictiōnib⁹ respondere, non potest non fateri, quis-*  
*quis verba intelligit. Quomodo enim Deus rā un̄ v̄ra v̄s v̄ra  
 vocavit in creatione? an nudo & sine efficacia verbo? absit!*  
*Sed ita, ut quod non erat actu, licet in se impossibile non esset,  
 b. e. ut nihil priuatuum redderet existens. Quoniam igitur  
 definitio mea creationis notionibus biblica, & ex iis ipsis locis,  
 quæ paullo ante excitata sunt, desumpta est, ignorat Dn. Oppo-*  
*nens, quid disputet? At phras⁹ biblica expressa non est. Nego,  
 id necessarium esse, & si Dn. Dissentienti contrarium videatur,  
 postulo,*

DE DEFINITIONE CREATIONIS CARPOVIANA. 19

postulo illius demonstrationem; quam eam ob causam dare non potest, quia & ad conuenientiam notionum, non verborum respiciendum esse, antea pag. 4. fassus est, & phrases S, Scripturæ saepe sunt impropriæ, quales in definitionibus pro regula Logicorum, a Dn. Opponente admissa p. 4, locum non habent. Neque ex verbis meis: *in definitionibus Theologicis formandis ante omnia, quo Spiritus S. significatu terminis biblicis utatur, ex collatione locorum concludet lector sacrarum litterarum sedulus Praef. Theol. Dogm.* pag. 16, legitime concludet, definitiones Theologicas verbis etiam biblicas esse debere. De significatu terminorum enim, non de verbis locutus sum. Quodsi autem acriter Dn. Opponens, definitiones Theologicas verbis etiam biblicis exprimendas esse, vrgeat, quæro, cur contra me solum, nec contra Theologos, qui ἐρθοδόταραι habentur, eadem valeat regula? Colligas, qui in colligendis aliorum placitis tibi admodum places, aliorum Theologicas definitiones, videoasque, quot verbis biblicis expressa legantur? Taceo plura, quæ responderi possent. Sufficit enim ostendisse, quod inania sint, quæ aduersus meam de creatione definitionem disputata fuerunt, omnia.

CAPVT II.

DE

CREATIONE MVNDI EX NIHIL  
PRIVATIVO.

§. 19.

Dum in definitione creationis facta erat mentio nihili pri- *Quid &*  
*uatiui Theol. Reu. Dogm. §. 918, ne obscuritatis insimu-* *quotuplex*  
*laretur, quid nihilum priuatum vocem? cui opponam? in* *auctori sit*  
*Scholio adiecto exposui. Ita enim se verba habent:* *Dico:* *nihilum?*

C 2

Nihil.

Nibilum priuatuum, i. e. tale, quod non est quidem, sed esse tam  
men potest. Nam nihilum negativum, quod nec est, nec esse po-  
test, nec potest existens reddi, quia existentia semper possibili-  
tem supponit.

## §. 20.

*De quibus  
nam auctor  
non sit actu-  
rus?*

Antequam ad oppugnandam hanc nihil priuatiui definitio-  
nem Dn. CLVGIVS accedat, varia, quæ me non tangunt, dispu-  
tat. Etenim 1.) productionem ex nihilo denotare tantum ordinem vel  
terminum a quo, non materiam anim. 2. p. 9; 2.) Scripturam  
Sacram creationem ex nihilo eo sensu docere Gen. I. 1. quod in crea-  
tionis actu primum extra essentiam diuinam aliquid incepit ex-  
sistere, quodque adeo cum ipso creandi actu principium rerum  
coniunctum sit anim. 3. p. 10. II. 3.) ante mundum conditum ni-  
hil preter solum Deum Trinunum existisse anim. 4. pag. II, seqq.  
idque tam ecclesia Judaica anim. 5. p. 15. quam Christiana con-  
fidente anim. 6. p. 15. docet, quæ omnia variis obseruationi-  
bus adversus Ribouium, Limborchium, Canzium, Kortumi-  
um alias amplificantur. Quia autem hæc omnia partim sunt  
talia, in quibus me consentientem habet, partim talia, quæ  
ad me nihil attinent, sicco illa pede transfiguratus, noto tantum  
iniquitatem Dn. Opponentis, qui tot iam paginas, in quibus  
nihil mihi aduersum est, nomine Singularium Theologiae Car-  
pouianæ denotauit.

## §. 21.

*Quæ vulga-  
ris & Dn.  
Opponentis  
de nihilo  
sententia sit?*

Progredior, vt ordinem Dn. Opponentis exacte sequar, ad a-  
nim. 7. p. 17. Ibi is primo vulgares, vt dicit, nihil diuisio-  
nes recenset, scribens: *triplex vulgo nihilum constitutum, repa-  
re grantia, negativum & priuatuum.* Illud dicunt, cui existere re-  
pugnat, sive quod ita non est, ut ne esse quidem possit; istud ne-  
gationem veri entis; hoc autem carentiam rei vel essentia positiva  
in subiecto, ad rem negatam recipiendam apto. Deinde vero  
sux sententia ignorarum esse eruditorum orbem nolens, ex tene-  
bris

DE CREATIONE MUNDI EX NIHILo PRIVATIVO. 21

bris eandem in lucem profert. Se iudice rectissime illos sentire, inquit, qui solum id, quod nihil negatio comprehenditur, proprie vereque nihilum dici existiment, quia nihilum repugnante mera sit impossibilitas, nihilum priuatuum autem, et si non sit id quod esse possit vel debet, tamen cum aliquid sit, improprius nihil adpelletur. Transeo, qua hic monere possem. Quomodo hoc sequitur:

Nihil repugnantiae est mera impossibilitas.

Ergo non est dicendum nihil?

Vnde probas maiorem:

Quidquid mera impossibilitas est, id non est dicendum nihil?

Est, inquis, impossibilitas. Sed propter hoc ipsum nec simpliciter nihil, sed nihil repugnantiae adpellatur. Gemono modo qua consequentia est:

Nihil priuatuum (sc. pro sententia vulgari) 1. non est id, quod esse potest vel debet, 2. attamen est aliquid.

Ergo non est (proprie) adpellandum nihil?

Quo enim iure negas, illud adpellandum esse nihil, quatenus est aliquid, eodem iure illud adpellandum esse nihil, potes affirmare, quatenus non est id, quod esse potest, vel debet. Vnus æque ac alter in illo respectus deprehenditur. Talia sunt argumenta Dn. Opponentis in iis, qua curatius se expeditissime publice fatetur. Sed meliora non expectans lubens talia prætero, nec adimo facultatem definiendi nihilum, prout voluerit, quia definitiones nominales arbitrarias esse, ex Logicis praeceptis constat.

§. 22.

Porro in animaduersione eadem, ut in verbis facilem se prebeat, posita distinctione nihil vulgari (§. 21.), adserit, nihil ponens consum illud, ex quo omnia producta esse credamus, non esse repugnante, cum ea, qua actu sunt, non possint olim hoc modo non lo priuatius fuisse, pro nostro

definitione fuisse, ut esse ne potuerint quidem. Concedit igitur, quod op-  
tali creatum pido inde constat, nihilum illud, e quo omnia producta sunt;  
tale fuisse, quod non fuit, sed esse tamen potuit. At illud,  
quod non est, sed esse tamen potest, secundum nostram defi-  
nitionem vocamus nihil priuatuum (§. 19.). Vnde vterius  
sequitur, eum concedere, quod nihil, e quo omnia producta  
sunt, pro nostra definitione sit nihil priuatuum.

## §. 23.

*An auctor concedat mundum non esse creatum ex nihilo priuatuo pro definitione Dn. Opponentis?* Enim vero Dn. Opponens in verbis animaduersonis cita-  
tæ 7, p. 18. immediate sequentibus, negat, nihil, ex quo omnia  
producta sunt, esse nihil priuatuum. Cur? quia hoc subiectum  
aliquid supponit, quod ante creationem huius uniuersi non fuerit. An  
in eo me repugnantem habes, Dn. Opponens? Plane non.  
Si nihil priuatuum vocas meram carentiam rei vel essen-  
tia positiua in subiecto, ad rem negatam recipiendam apto,  
concedo tibi pro hac definitione mundum non creatum esse  
ex nihilo priuatuo. Pro hac enim definitione adfirmare, quod  
mundus ex nihilo priuatuo creatus sit, quid aliud est, quam  
materiam mundi, creationi mundi praexistentem, sed ad  
hanc rerum formam recipiendam aptam, statuere? At ipse  
ego, in primo creationis momento materiam mundi, nullo ex-  
sistente alio, ex nihilo a Deo productam esse, demonstravi  
Theol. Dogm. §. 933.

## §. 24.

*An controversia quem ipsam inter Dn. Opponentem & auctorem in tercedat?* Quæ igitur hæc controversia est? Attendat, quæso, ad hanc  
ce mihi motam litem lector. Pro mea de nihilo priuatuo  
definitione: nihil priuatuum est id, quod non est, sed esse tamen  
potest, Dn. Opponens nolens volens mili concedit, quod  
adsero, ex nihilo priuatuo creatum esse mundum (§. 22.).  
Pro altera de nihilo priuatuo definitione: nihil priuatuum  
est mera carentia rei vel essentia positiua in subiecto, ad rem nega-  
tam recipiendam apto, quam ille vulgarem dicit (§. 21.), &  
suam

suam esse patitur, concedo ipsi vicissim, quod adserit, ex nihilo priuativo non creatum esse mundum, & ipse doceo (§. 23.). An ergo qua rem ipsam vlla inter nos controuersia intercedit? Ne Argus quidem id perspicere poterit.

## §. 25.

*Reliquum est, ibidem anim. 7. p. 18. Dn. Oponens pergit, Continuatio.*  
*omnia producta esse ex nihilo negativo, quod ab aliis purum vel pure ne-*  
*gatiuum vocatur. Quid autem adpellat nihilum negatiuum?*  
*quod nulla sui parte existit, & est negatio simplex entitatis, non iem*  
*negatio possibilatis.* Dum igitur pro sua definitione ex nihilo  
*negatiuo mundum productum esse docet, eo ipso mundum ex*  
*tali nihilo, quod non est, sed esse tamen potest, productum*  
*esse, adfirmat. An hoc vnuquam a me fuit negatum? Absit!*  
*Dum creationem dixi esse actionem, qua nihil priuatuum redi-*  
*ditur existens Theol. Dogm. §. 918, nihil priuatuum autem*  
*definiui per id, quod non est, attamen esse potest ibid. Schol.*  
*pariter & ego docui, mundum productum esse ex tali nihilo,*  
*quod non fuit, potuit tamen esse. An igitur in re ipsa inter*  
*Dn. Opponentem & me dissensus est vllus? Nullus,*

## §. 26.

*Quid ergo? Mera lis est de voce, quam logomachiam vo-* *An auctor*  
*cant Logici. Nam nihil, quod non est, esse tamen potest, ex a Theologis*  
*quo mundum a Deo creatum esse vterque defendimus, Dn,* *qua rem dis-*  
*Opponens vocat nihil negatiuum anim. 7. p. 17. 18; ego autem* *fentiat in ni-*  
*nihil priuatuum adpellau Theol. Dogm. §. 918. Sch. Hoc est* *bilo ex quo*  
*illud fidei caput, cuius tuendi causam grauem mihi dicam in* *mundus cre-*  
*sequentibus scriptis Dn, Opponens. Hic est is cardo causae,* *atus?*  
*propter quem defendendum totam fere Germaniam, copias*  
*conducturus auxiliares, peragrat, vt mirum videatur, cur non ex*  
*extremis septentrionis & austri angulis etiam anxius arcere-*  
*rit. Hoc est munimentum illud salutis (ita forte credit), pro*  
*quo*

quo tanquam probris & focis dimicaturus, exercitum Theologorum in aciem producit, quorum auctoritatibus ( si Diis placet) eneuandus, supprimendis, iugulandus sum, solo Æpino a partibus meis stante. *Dicericus*, enim, si Dn. Opponentem audias anim, 8. p. 18. seqq. *Kromayerus*, *Matthebias*, *Scherzerus*, *Koenigius*, *Quenstedius*, *Hildebrandus*, *Pfaffius*, *Danbaverus*, *Neumannus*, *Hollazius*, *Haferungius* nihilum illud, ex quo mundus factus est, puta id, quod non est, esse tamen potest, quodque a me priuatuum dictum erat, nihil negativum adellarunt. Et ne quid adparatu bellico deesse videatur, in insidiis sunt ex Philosophis *Martini*, *Sieuogtius*, *Donati*, vid. anim. 8. pag. 20. 21. & qui non? Cui bono autem hæc omnia? Ut erroris me conuincant? Nugæ! Idem sentio, quod omnes illi Theologi & Philosophi, Deum mundum creasse ex tali nihilo, quod ante creationem non fuit actu, potuit tamen esse; licet illi istud nihilum negativum, ego priuatuum vocauerim, Vnum igitur tantum ante moneo, quam rem ipsam adgrediar. *Sieuogtius*, quem Dn. Opponens pro se adlegat, & quem solum relegi, nil loco citato Dispp. Acad. p. 424. in fauorem Dn. Opponentis scripsit, sed ad numerum tantum augendum excitatus fuit. Non enim id, quod non est, esse tamen potest, nihil negativum esse dixit, sed nihil vel non-ens interdum dici solum ex negatione existentie, quia actu non sit, esse interim non repugnet, adlerit; quæ non eadem, sed diuersa sunt.

## §. 27.

*Defensio definitionum auctoris de nihilo priuato & negativo.* Quemadmodum porro, quæ anim, 9. p. 21. seqq. disputata sunt, me non feriunt, siquidem disserim creationis ex nihilo immediatae & mediatæ nunquam ego negaui, sed adstruxi (§. ii. & Theol. Dogm. §. 918. Sch. §. 988.), ob eamque rationem non indigent responsione mea: ita potius quid de definitionibus nihili negatiui & priuatiui constitueris sentiam expoundendum est: Scilicet i. Id, quod non exsistit, voco nihil, quam notio-

DE CREATIONE MUNDI EX NIHILO PRIVATIVO. 25

notionem vsui loquendi omnium hominum conformem esse, nemo non concedet, 2, r<sup>o</sup> non-exsistens autem duplicitis est generis: aliud se ita habet, vt non sit actu, nec esse quidem possit propter repugnantiam; aliud ita, vt non sit actu, at esse tamen possit propter repugnantia absentiam. 3. Dum igitur, vti dictum, quod non est vel non exsistit, nihil vocamus, nihil etiam vel tale est, quod esse potest, Nec non sit actu, vel tale, quod nec est, nec esse quidem potest. Haec duæ nihil species & exemplis ostendunt & ratione. Deus malus, Deus corporeus non est, nec potest esse propter repugnantiam. Vita longior ejus, qui violentas manus sibi infert, non est actu, sed potest tamen esse. Tum duæ haec species nihil ita comparatae sunt, vt tertia ne quidem esse possit. Etenim dum propter principium contradictionis omne ens vel est, vel non est, omne non-exsistens vel possibile vel impossibile, h. e. vel tale est, vt esse tamen possit, vel tale, vt esse non possit. Cum igitur haec duæ species nihil extra dubitationem positæ sint, queritur 4: quo nomine quilibet sit denotanda? Sunt autem denominationes rerum arbitriae per præcepta Logica, quod maxime tunc valet, si ipsi etiam eruditii in usu vocum inter se discrepant, qualis est casus præfens. Quis igitur dubitabit, ab arbitrio nostro pendere, vt eam nihil speciem, quod nec est nec potest esse, nihil negatiuum, eam, quod non est, potest tamen esse, priuationum adpellamus? Neque a me Dn. Opponens impetrabit, vt veniam ab ipso adpellationis petam. Queramus admodum enim nihil eum impedio, nihil negatiuum vocare quocunque velit, modo ratio loquendi non sit plane absurda, sic eandem mihi loquendi libertatem vindico. Nec denique s. haec denominandi ratio ab indole linguae aliena est. Nam nihil negatiuum simplicem dicit negationem, ipso Dn. Opponente anim, 7. p. 18. non obscure consentiente. At simplex, h. e. omnimoda negatio non est in illo, de quo existentia quidem

D

dem

dem negatur, possiblitas autem adfirmando est, sed in illo, de quo & exsistentia & possiblitas negatur. Vnde sequitur, etymologiae ratione habita, id vocandum esse *nibilum negatiuum*, quod nec est, nec potest esse. Hoc autem ita denotato, non restat nomen, quod alteri speciei nihil imponatur, nisi ut diccas *nibilum priuatuum*; quae denominatio similiter nec ab inde voci abhorret, si tale denotari cogites possibile, quod caret vel priuatum est exsistentia. Ita vero rationem denominationis iam videt Dn. Opponens, supra anim. 5. p. 4. postulatam. Et quoniam omnibus Theologis pro rei veritate factentibus, Deus mundum creavit ex nihilo tali, quod olim non fuit, potuit tamen esse, pro definitionibus, quarum euidentiam modo in apricum posui, creatio definienda fuit per actum, quo nihil priuatuum redditur exsistens.

## §. 28.

*Solutio obiectionum circa denominacionem nihil priuatui.*

His præmissis, cauillationes Dn. Opponentis uno iactu corruntur. Ita is argumentatur anim. 10. p. 23:

*Quaecunque loquendi ratio*

1. nec in natura voci,
  2. nec in vsu loquendi,
  3. nec in auctoritatibus Theologorum fundamentum habet,
  4. spuriam autem ingenerat notionem,
  5. tegendo souendoque materia ante creationem iam exsistentis monstro inseruit, ea reprobanda est, vel, ut flosculo Dn. Opponentis utar, ad singularia Theologia Carponiana pertinet.
- Atqui haec ratio loquendi, vt, quod non est, esse tamen potest, vocetur nihil priuatuum est talis. Ergo.*

Omnia haec nullius momenti sunt. Nam

- 1.) quod ad membrum primum attinet, nego minorem (§. 27.);
- 2.) quod ad secundum, nego iterum maiorem. Nam ipse

Dn.

Dn. Opponens, Cel. *Aepinum* in Metaph. p. 28. it. 212. termino: nihilum priuatuum eodem, ut ego, significatu vti, fatetur anim. II. p. 24. 25. Cui addo Dn. Renscb in System. Met. §. 14. scribentem: *Nihilum negatiuum exsistere non potest*, priuatuum vero actu non exsistit. Accedit etiam Dn. Baumeister in Instit. Metaph. §. 62. pag. 62. scribens: *Nor ens & nihilum negatiuum sunt nobis synonyma*. Nihilum autem negatiuum est, quod esse nequit. Quod nihilum negatiuum distinguunt volumus a nibilo priuatuo, per quod nihil aliud intelligitur, quam eiusmodi quid, quod quidem non est, interim tamen esse potest, e. g. lignum ferreum est nihilum negatiuum, quia lignum ferreum nec est, nec esse potest. Sparta autem futura Titii est nihilum priuatuum, quia nondum quidem sparta futura exsistit, exsistere tamen potest, qui tamen alter Theologos his terminis in loco de creatione vti, simul fatetur. Quodsi vero hunc loquendi usum vniuersalem esse neges, respondeo, non posse nos vniuersalem habere, quia non omnes auctores his terminis pro iisdem significatibus vtuntur; quamobrem alterutro significatu adoptato, non potest non relinquiri alter. Si dicas, illum potius significatum, qui maiori Theologorum numero familiaris est, praeferri debuisse, scias, non auctoritatibus me, sed rationibus dogmata munire & propugnare. Cur autem nihil negatiuum & priuatuum ita nec aliter definierim, eius euidentissimas rationes iam ante indicaui (§. 27.).

3.) Ad tertium membrum nego primo maiorem. Aucto-  
ritates humanas necessario sequendas, omne id autem, quod  
earum fulcro non sustinetur, reiiciendum esse, ad Calendas  
Græcas probaturus est Dn. Opponens. Deinde quod ad mi-  
norem, Dn. *Aepinum*, quem sum secutus, Theologum esse,  
quis dubitat?

4.) Ad membrum quartum pariter nego minorem. No-  
tionem enim, quam nos cum termino nihili priuatui coniun-  
gimus, non spuria, sed recta est (§. 27.). Et quid vocas, quæso,

notionem spuriam? Si eam, quæ cum notione quorundam aliorum auctorum non conuenit, notio nihil negatiui, quam Dn. Opponens amplectitur anim. 7, p. 18: nihil negatiuum est, quod non est, esse tamen potest, pariter est spuria, quia hæc quoque cum notione aliorum auctorum, quos modo excitaui (§. 28, n. 2), non conuenit.

5.) Denique quod ad quintum membrum, minor non neganda tantum, sed oppido absonta & absurdâ est. Attendat enim lector ad sequentia. Nihil priuatuum voco, quod non est, sed esse potest. Dum igitur Deum creasse mundum ex nihilo priuatiuo adsero, adsero, Deum ita creasse mundum, ut olim non fuerit actu (puta: vt locutio simpliciter posita simpliciter intelligenda est, nec ratione materiae, nec ratione formæ), esse tamen potuerit. At eadem locutio, quæ negationem materiae præexistentis clarissime inuoluit, si Dn. Opponentis audias sapientiam, monstro materię, antea iam exsistente, tegendo fouendoque inferuit. Quod si contradic̄tio non est, quadrata rotunda, & alba nigra ei videbuntur. Totum igitur argumentum euaneſcit, & dum de cetero Theologi negant, mundum ex nihilo priuatiuo creatum esse, non respiciunt terminum, ut Dn. Opponens, sed rem; hoc est: negant, mundum creatum esse ex materia olim vel plane ab aeterno præexistente, & per creationem in hanc formam tantum redacta; id quod ego pariter nego & negaui (§. 23.).

### §. 29.

*Solutio exceptionis prime de vſu loquendi non relinquendo.* At ecce! nouo conatu Dn. Adgressor fontes respcionum mihi occludere nititur anim. II. p. 24. *Animo se preuidere, dicit, quod responsurus sim: alio me sensu nibilum priuatuum accipere, quam quo vulgo a Theologis & Philosophis accipiatur. Quam ut respcionem elumbem reddat, excipit: Nefas est, a loquendi ratione, in scholis Theologorum recepta, recedere, nisi ratio sufficiens adsit. At dedi rationem sufficientem, cur a loquendi ratione*

tione eorum, qui nihil priuatuum negatiuumque aliter quam ego definiunt, recesserim (§. 27.). Quamobrem mihi nec nefas, nec piaculum, nec crimen esse potest. Et cur Dn. Opponens ab vsu loquendi eorum, quibuscum ego facio, recedit? Cur anim. 7. p. 17. sibi potestate sumpsit, a diuisione nihili, quam ipse communem esse profitetur, recedendi? Si cum ratione se id fecisse dicat (qua tam nonnulla est §. 21.), idem mihi, vt feci, licebit respondere.

## §. 30.

*Praeuidet 2. an. 11. p. 24. me responsurum esse, quod in Scholio Solutio se-  
adiecto §. 918. Theol. Dogm. sufficientem termini declarationem, cuncte quod  
puta; quid nihilum priuatuum vocem? addiderim. At hic 1. mea defi-  
quoque excipit: meas nibili priuatui & negatiui definitiones o-  
mni destitui fundamento. Confundit autem hic sine dubio fun-  
damentum in se cum fundamento sibi cognito. Quod funda-  
mento in se non destituantur, luculentur ostendi (§. 27.); si  
autem de fundamento sibi cognito loquatur, non potest id mi-  
hi meisque doctrinis detimento esse. Per ignorantiam enim  
alienam veritatem earum destrui, quis tam ab omni ratione  
fana alienus est, qui credat? Interea h. 1. noua obiectio 2. quod per  
mea nibili priuatui sape dicta definitio (§. 27.) vrgetur. Scili-  
cet, si Dn. Opponentem audias,*

*ea non in tuto collocat eam, que ex nihilo est, creationem.*

*Cur non?*

*Potest quis creationem ex nihilo priuatuo pro mea definitione  
admittere, & nihilo secius creationem e nihilo sine praexisten-  
te materia negare.*

*Quid ita?*

*Corpus Adami, antequam manu Numinis fingeretur, non erat,  
licet esse posset, nec tamen e nihilo proprio sic dicto, sed e gle-  
ba terre effectum est.*

D 3

Non

Non intelligit meam nihil priuatiui definitionem, qui hanc objectionem format. Dum dico: *nihil priuatiuum est id, quod non est, esse tamen potest*, qui nodum in scirpo non quaerit, intelligit statim, simpliciter dictum simpliciter intelligentem esse ita: *nihil priuatiuum est id, quod plane non, i.e. nec ratione forme, nec ratione materia est, esse tamen potest*. At ita non dici potest, quod quis creationem ex nihilo priuatiuo pro mea definitione admittere, & nihilo secius creationem ex nihilo sine praexsistente materia negare possit; neque quod corpus Adami, ex gleba terra modo fingendum, antequam fingetur, non fuerit. Erat enim ratione materiae, licet nondum esset ratione formae. Quia igitur id non poterat nihil priuatiuum pro nostra definitione dici, tota corruit haec objectio, & contra ea nostra de nihilo priuatiuo definitio satis in tuto collocat eam, qua ex nihilo est, creationem. Quin imo tantum abest, vt meam nihil priuatiui definitionem arctioribus limitibus circumscribi, si creationem hujus universi ex nihilo salutem velim esse, jure Dn. Opponens postuler, vt postulem tantum quod nemo negare potest, simpliciter dictum simpliciter a lectore intelligi.

## §. 31.

*Solutio exceptionis 3. de consensu Dn. Aepini.* Preuidet Dn. Opponens 3. an. II. p. 24. fore, vt excipiam, nec primum, nec solum me ita, puta in definitione nihil priuatiui, loqui, atque vt auctoritate Aepini, Theologi Rostochiensis celebratissimi, cuius verba ex Metaph. p. 28. it. 212. ipse excitauit, eodem prorsus, vt ego feci, modo nihil priuatiuum & negatiuum explicantia, me muniam. Exceptionis loco hic debet esse, quod sicut una birundo ver non facere soleat, ita Theologi prudentis sit, ea que ab uno itemque altero haud considerate satis dicta sunt, obseruare, non imitari. Inanis est haec exceptio. Nego, Cel. Aepinum non considerate satis nihil negatiui & priuatiui definitiones posuisse. Rectissime enim se illas habere

bere, & cum optima circumspetione positas esse, oppido ex illis, quæ pro mei defensione disserui (§. 27.), constat. Unde igitur, haud considerate satis Cel. *Aepinum* in iisdem definitionibus locutum esse, probabis? Inde forsitan, quod alii Theologi loquantur aliter? Sed eodem modo *Aepinus* mecum probabit, alios Theologos non satis considerate locutos esse, quia aliter loquuntur, quam ille mecum loquitur. At plures sunt Theologi, qui contra *Aepinum* & me a partibus Dn. Opponentis stant. An igitur veritas ex copia suffragiorum estimanda est? Vbi, quæsto, id Logica præcepta docent? Audi, quod sapienter ipse Imperator Iustinianus publica lege sanciuit: *Non ex multitudine auctorum, quod melius & equius est, iudicato, cum possit unius forsitan & deterioris sententia & multas & majores in aliqua parte superare: C.I. §. 6. C. de veteri jure enucleand.* Quam igitur fatilia! quam inania sunt, quibus me oppugnatius es, argumenta! Præterea cum una hirundo ver non faciat, nosce velim, quot sufficere judices, ad ver faciendum? An sufficient duodecim? Non arbitror, te id dicturum esse. Quot enim alias urbes pagique unius regni sine hirundinibus manerent? At ita nec duodecim supra (§. 26.) nominati Theologi efficiunt, vt *Aepini* & mea loquendi ratio falsitatis conuincatur.

## §. 32.

Sequuntur iam paginæ quatuordecim, variis disputationibus, *Ad quenam* futilibus sæpe, de *definitione nihil*, de *existentia*, ut *possibilitate* *auctor non* *tis complemento*, de *essentiis rerum*, *quatenus in possibiliitate ea-* *rum* *constituuntur*, *vt & quatenus necessariæ, aterne, & immu-* *nabiles dicuntur esse aduersus Ill, Wolffium, Dippelium, Stephanum Chauuinum referat anim. 12-21. p. 25-39, atque sub singularium Theologia Carponiana nomine eruditis obtrusa. Hæc omnia autem cum neque ad me quidquam pertineant, neque discut-*

32 CAPVT II. DE CREATIONE MVNDI EX NIHILo PRIV.

discussio eorum ad defensionem Theologiae meæ Reuelatae requiratur, neque ipse Dn. Opponens me, sed Ill. Wolffium ad respondendum prouocauerit an. 21, p. 39, tacitus eadem iam, saluis doctrinis meis, prætereo.

§. 33.

In felix Dn.  
Opponentis  
coniectura.

Quod denique Dn. Adgressor anim. 22, p. 39. denuo sententiam meam, mundum ex nihilo priuatuum sc. pro definitione supra (§. 27.) explicata & defensa *creatuum esse*, *singularem* vocet eam ob causam, quod Ill. Wolffius eodem non vtatur loquendi modo, id nouum est singularium Clugianorum inane. Quid enim hæc sibi vult major: Quocunque loquendi modo Wolffius non vtitur, ille est singularis? Quod reliquum est, dum coniectando adsequi conatur, *me de industria nihilum illud, ex quo mundus creatus, priuatuum nominasse*, vt, quæ Dn. Wolffius de nihilo, de aternitate essentiarum, de ente in potentia tanquam vero ente atque de creatione scripsit, *salua essentia*, auctor sum ipsi, vt callidius de occultis coniicere nescius, parcat chartæ. Ut scopæ enim dissoluta hæc talia cohærent. Quin potius, cur docuerim, mundum creatum esse ex nihilo, quod non fuit, potuit tamen esse? illius rationem sine ratione Dn. Opponens conjectando querit, quia idem docet ipse (§. 27.), & ipse, ni fallor, sciet, cur talia doceat? Cur autem id nihilum vocauerim nihilum priuatuum, ejus rationem in superioribus dedi (§. 27). Vnde cauillatio, quod mibi propositum fuerit, Theologiam reuelatam secundum sententias Dn. Wolffii conformare, ad Clerici argumentum Theologicum, ab inuidia ductum, pertinet.

CA-

CAPVT III.  
DE  
SERMONE CREATORIS PRO-  
PRIE TALI.

§. 34.

Quo cauillationes praesentis argumenti lector rectius perspi-  
ciat, deque iisdem iudicet accuratius, iuuat verba Theo-  
logiae Reuelatae, de quibus haec disceptatio instituta est, ante verbo, quo  
omnia exponere. Quæstio proponitur:  
*Per quidnam Deus, puta Trinunus, mundum creauerit?*

Ad hanc respondeo ita Theol. Reu, §. 920:

*Quemadmodum Deus vi omnipotentia solo voluntatis sua actu  
res extra se esse existentes reddere potest, sic actu in creatione  
rebus extra se solo voluntatis iussu existentiam largitus est.  
Nam ante creationem non erat quidquam preter solum Deum,  
quia in principio omnium rerum facta est creatio. Quia igit  
ur non fuit quidquam, quo tanquam instrumento Deus in crea  
tione uteretur, per solam voluntatem eius facta est creatio.*

Et ne desiceret explicatio S. Scripturæ, subiungo Scholion:

*Et hoc ipsum est, quod identidem Moses per verba emphatica:  
Dicebat Deus: Fiat! & fiebat, indicat Gen. I. 3. 6. Et, Nam  
cum Deus ibi versatus fuerit circa res, intellectu & ratione  
carentes, non posse sermonem Dei proprie talem intelligi, nemo  
non videt; unde per verba, a Deo prolatæ, ipse voluntatis di  
uine actus erit intelligendus. Et eadem ratione cum cœlum,  
Ps. XXXIII. 6. & mundus Hebr. XI. 3. verbo Dei dicitur  
factus, non δόγον υποστατικὸν tantum, b. e. filium Dei, per  
quem mundus creatus est, sed προφετικὸν etiam, b. e. ipsum  
voluntatis Dei actum licet intelligere Et.*

§. 35.

## §. 35.

*Quid aut̄or* In quibus quidem verbis dum Gen. I, 3, 6: *Deus dicebat: vocet sermo fiat!* & siebat, sermonem Dei proprie talem intelligi posse, nem proprie talem?

ego, ex meis, non suis definitionibus de hac conclusione iudicium ferendum est Dn. Opponent. Quod nisi faciat, ex suis definitionibus, qua a meis discrepant, de meis conclusionibus iudicaturus, denuo logomachus est, responsione indignus. Ita autem ego sermonem definiui in *Medit. de perfect. lingue* §. 24:

*Sermo est status mentis per voces articulatas significatio.* Et ne quis definitionem obscuritatis argueret, vocis etiam l. c. §. 6. & vocis articulatae definitionem dedi §. 14, de voce obseruans, quod per sonum, de sono autem, quod per motum aëris tremulum excitetur. Usus autem sum termino generali: status mentis, quia ille & repräsentationem rerum in mente & volitionem denotat. Qua ratione hanc sermonis definitionem usui loquendi conformem esse, operosa probatione non indiget, quia, exemplis collectis, nemo tam est ineptus, quin videat.

*Definitio  
sermonis  
Canziana,*

*SCHOL.* Vir Doctissimus Canzius in Grammat. vniuers. Rudiment. §. 46. sermonem definita: *Sermo est actio spiritus creati, qua per certa vocabula, certo ordine posita, cum altero suas communicat cogitationes; de vocabulo simul hanc definitionem suppeditans §. 44: sive unam, sive plures voces articulatas, easdemque coniunctas, cogitationum indices, nominamus vocabulum.* Quam definitionem sermonis etiam si catenus non faciamus nostram, quod spiritibus creatis tantum tribuatur, in reliquis tamen illius cum nostra consensum facile lector perspiciet.

## §. 36.

*An talis Deo in creatione I, 3, voluntatem internam de creaturarum existentia, h. e. statu mentis diuinæ non significauit per voces articulatas, motum tremulum aëri imprimendo.* Aër enim, die creationis tertio productus (Th. Reu. §. 947.), die primo, quo lux producta est

est (Theol. Reu. §. 939.), nondum exsistebat. Hinc Deum in luce & similibus creandis sermonem non formasse, vel non esse locutum, pro data sermonis definitione sequitur (§. 35.).

**SCHOL.** Habeo in hoc Doctissimum Dn. Opponentem idem *Confensus* tedium claris verbis consentientem. Ita is enim anim. 7. p. 45. *Dn. Oppo-* *Homo loquitur ore corporis & organis viuit ad sonum formandum nentis.* *parparatis, loquitur ita, ut aëris modo peculiari commotus aures* feriat, que motum illum recipientes & propagantes efficiunt, ut ejus qui loquitur cogitationes ab aliis percipientur. Sed hoc modo Deus fabricator mundi locutus non est. Nec enim habet os, nec organa alia, ad sermonem ore proferendum necessaria, imonec aëris primo statim creationis die ad sonum recipiendum & propagandum aptus erat. Porro anim. 9. \* p. 48. Nos verbum προφεγένετο (in creatione) a verbo mandati distinctum, seu orale, cum Danabawero oppugnamus. Hoc enim scit absque aëris commotione esse non potest, ita subiectum iam supponit. Quod si itaque Deus per oralem distinctionem condidit hunc mundum, eum condidit per aërem a se verberatum. Icciro cum crearet Deus, aëris fuit & non fuit; fuit, dum Deus eum adhibuit ad formandum sonum, sine quo dictio oralis non datur; non fuit, dum Deus per oralem distinctionem hoc uniuersum adeoque etiam aërem produxit. E. sententia hec est absurdita. Tum l. c. p. 49: sensu angustiori λόγος προφεγένετο ille vocatur, qui ore profertur, & per aërem quasi verberatum transportatus auribus percipitur, qualis cum non fuerit sermo Dei creatoris, nec isto modo λόγος προφεγένετο dici potest. Non est igitur, quod quā rem ipsam vllum mihi etrorem tribuat.

### §. 37.

Deus, in luce aliquis similibus creandis, locutus non est, *Quomodo* vel non formauit sermonem (§. 36.). Nihilominus Moses scribit Gen. I, 3: *Deus dicebat: fiat lux.* Ne igitur inter propositionem priorem, quæ exploratae veritatis est, & adseratum Mo saicum intercedat contradicatio, qualis nec in S. Scriptura ipsa, nec inter S. Scripturam & rationem sanam potest esse, distinxii inter sermonem proprio & impropiro, vel ut aliis verbis rem

exprimam , vulgarem & per eminentiam talem , concessisque , propositionem priorem de sermone proprio vel vulgari , i.e. de sermone , qui secundum datam definitionem talis sit (§. 35.) , intelligendam , neque adeo in verbis Mosaicis sermonem propriam talem Deo tribuendum esse ; at vt effato θεοπνευτω veritas constaret , per verba , Deo tributa , ipsum voluntatis diuinæ actum vel iussum intelligendum esse , docui (§. 34.). Ita enim inter veritatem exploratam & verba Mosaica nulla plane intercedit contradic<sup>tio</sup>.

*Illustratio  
modi argu-  
mentandi.*

SCHOL. Modum hunc argumentandi alio exemplo simili euidentissimo confirmabo . Vitis est planta vuarum ( ex quarum succo vinum fit ) genitrix . Christus διαθέτως non est planta vuarum genitrix . Ergo Christus non est vitis . At ipse se vocat τὸν μυστήριον τὴν ἀληθίνην Ioh. XV, 1. Ne igitur inter veritatem exploratam & ipsius Christi adserendum repugnantia intercedat , & effato tamen διαδημότε veritas constet , distinguimus inter vitam propriam & impropriam , & prius de vite propria , posterius de impropria intelligimus ; qua ratione cessat contradic<sup>tio</sup> , quæ esse adparebat . Quem si concedis argumentandi modum , priorem etiam ob rationis paritatem admittes .

§. 38.

*Per qualē  
voluntatem  
Deus mun-  
dum creau-  
rit?*

Dum autem Deum per sermonem , motu aëris tremulo productum , quem ego proprie talem vocau (§. 35.) , non creasse mundum , ipso Dn. Dissidente confite (§. 36. Sch.) , certum est (§. 36.) , proindeque ego , in creatione Deum rebus extra se solo voluntatis iussu existentiam largitum esse , indubie demonstravi Th. Reu. §. 920 , non est intelligenda mera voluntas Dei interior , siquidem & ante creaturarum existentiam illa in Deo fuit Theol. Reu. §. 584 , sed voluntas cum executione seu terminazione sui immediata ad obiectum , extra se positum , quo sensu de iussu voluntatis diuina data opera Theol. Reuel. §. 920 , locutus sum .

SCHOL.

**SCHOL.** In hoc etiam Doctissimus Dn. Opponens & verbis & *Consensus* re mecum facit. Ita is enim anim. 5. pag. 43. *Per sermonem Dn. Oppo-* *Dei, a Mose descriptum, non sola voluntas Dei omnipotens, nec nentis.* *voluntatis diuina actus interior, intelligitur, sed Dei volitio, cum* *sui executione, seu terminacione sui immediata ad objectum, ex-* *tra se possum, accepta.*

## §. 39.

Quæris autem: *an hoc voluntas Dei cum sui executione, vel Sermo per* *bis iussus voluntatis diuina recte ad pelletur sermo Dei?* Pro de. *eminentiam* *definitione data (§. 35.) sermonem non esse, sine demonstratio-* *quid?* ne in oculos incurrit. Notemus autem sequentia. *Ens per* *eminentiam* *vocamus, quod proprie tale non est, sed loco e-* *ius, quod proprie repugnat esse, habet aliquid præstantius.* Vid. Theol. Reu. Dogm. §. 330. & Ill. Wolffii Ontol. Lat. 845. *Sermo igitur per eminentiam erit, qui proprie talis non est,* *sed loco eius, quod proprie repugnat esse, habet aliquid præ-* *stantius.*

## §. 40.

Enim vero Deus, mundum creans, 1. gessit voluntatem de *An talis Deo* *niundi existentia, quod in confessu est, 2. eandem per ipsam in creatione* *executionem, i. e. actualem productionem creaturarum sig-* *nificauit externe. Nam quisquis rem per signum notam fa-* *cit, is eam significat. Signum autem dicitur, ex quo alterius* *entis existentia cognoscitur. At vero dum ab effectu ad cau-* *sam & a principiato ad principium licet argumentari, ob eam-* *que rationem ab actuali productione creaturarum ad volunta-* *tem producendi & ab executione voluntatis diuinæ ad volun-* *tatem ipsam recte concludimus, actualis creaturarum produc-* *tiō est signum voluntatis diuinæ internæ de creaturarum ex-* *istentia, & per istam Deus hanc notam fecit ut per signum,* Vnde sequitur, iussum illum voluntatis diuinæ, vel voluntatem Dei cum executione de creaturarum existentia esse vo- luntatis diuinæ interioris, h. e. status mentis diuinæ significa-

tionem. Sed non fuit status mentis diuinæ significatio eiusmodi, quæ facta sit per voces articulatas, siquidem, licet hæ ad sermonem proprie talem pertineant (§. 35.), a sermone tamen Dei creatoris debent remoueri (§. 36.); sed loco vocum articulatarum per aliquid præstantius, puta per ipsam executionem volitionis interioris eadem status mentis diuinæ significatio, vt modo dictum, facta est. Ergo iussus ille voluntatis diuinæ, vel voluntas Dei cum exsecutione est sermo Dei per eminentiam (§. 39.).

## §. 41.

*Quid contra auctorem non sit?* Facile iam omnia diluentur, quæ in medium attulit Dn. Dissentiens. Nam animaduersio 1. pag. 40. vbi loca, quod verbo Domini cœli firmati Ps. XXXIII. 6. quod, *Deo dicente, facta & mandante creata sunt omnia* Ps. XXXIII. 9. quod, *Deo vocante, creature steti* Ies. XLIX. 13. Rom. IV. 17. &c. excita ta sunt, nihil aduersus me continent. Pariter dum Dn. Opponens anim. 2. 3. p. 40. 42. *Verbum, quo Deus omnia produxit, & Verbum personale, h. e. Dei filium, & voluntatem mandatumque diuinum efficax denotare*, prius ex Joh. I. 3. Col. I. 16. 17. Hebr. I. 2, posterius exinde potissimum probaturus est, quod *qua Moses, Daniides, alii, per verbum Dei condita esse dicant, eadem Jobannes διὰ τὸ Θεόντα ἀντέ (Dei) esse & producta esse testetur* Apoc. IV. 11, neque id mihi aduersatur, qui idem Theol. Dogm. §. 920. Sch. clarissimis verbis adserui.

## §. 42.

*Quid Dn. Opponens vocet sermonem propriem talem?* Anim. 4. p. 42. Dn. Opponens suam de sermonis definitione & diuisionibus sententiam expromit, sed frustra, quia ante iam, aduersus me disputanti ex meis definitionibus, non ex suis, disputandum esse, ne controversia in logomachiam abeat, monui (§. 35.). Etiam si igitur suo ipsum sensu abundare, facile concedam, nec contra illa disputem, non tamen reti-

cen-

cendum est, sermonis definitionem datam: *sermo in se consideratus est manifestatio cogitationum, in mente latentium, per signa, definito latorem esse.* Dabo enim instantias. Communi omnium consensu mutus is est, qui non potest loqui. At potest tamen, experientia teste, cogitationes in mente latentes, per signa e. g. per nutum faciei, per gestus manuum manifestare. Pro definitione Dn. Opponentis igitur mutus etiam sermonem formaliter spectatum facere vel loqui potest. Porro. In vna & item altera academia, vsu, malo licet, venit, vt auditores, ultra tempus definitum sermonem docente producente, pedibus terram scalpant, tempus abeundi esse indicaturi. Hic igitur per r̄d scalpere, vt signum, cogitationem in mente latentem, pura voluntatem abeundi manifestant. Hinc pro definitione Dn. Opponentis de sermone dicendum est, quod Studiosi pedibus loquantur, & sermonem faciant. Quid autem est ab vsu loquendi proprio discedere, si hæc non sunt? Dabo adhuc aliam: Canis esuriens domini comedentis latus, vel conclaue clausum ingressurus fores pedibus scalpit, signum adpetitus comedendi vel intrandi edens, signoque hoc externo internam inclinationem adpetitus manifestans. Sic igitur pro Dn. Opponentis definitione vel brutum pedibus loquitur, & sermonem facit. Quod omni audienti non potest non cachinnum mouere. In gratiam hypotheseos igitur & oppugnandi animo tantum illam definitionem formatam esse, quis non videt? Et cur, quæso, Dn. Opponens supra mihi successuit, usum loquendi quorundam Theologorum in definitione nihil priuatiui relinquenti, cum ipse iam usum loquendi proprium, qui, quantum scio, omnibus hominibus communis est, sine necessitate relinquat? Negata autem definitione generali, *species sermonis commemoratae per se corrunt.*

S. 43.

## §. 43.

*In quo cum  
auctore con-  
sentiat?*

Adstruit porro Dn. Dissentiens anim. 5. p. 43. *verba Mois* Gen. I. 3. 5. seqq. *non significare tantum & simpliciter interiorem* Dei voluntatem, *sed notare simul editionem, & quasi emanationem voluntatis, vel volitionem cum sui executione.* In quo non dissentientem, sed aperte consentientem me habet (§. 38.), vt illa contra me adstruere non opus fuerit.

## §. 44.

*An de ser-  
mone Dei  
creantis pro-  
prio vel im-  
proprio inter-  
Dn. Oppo-  
nentem &  
auctorem  
dissentis  
realis sit?*

Progreditur disputando anim. 6. p. 43, *illam editionem vo-* luntatis diuinae, erga creaturas in creatione se exserentem & a Mose tanquam sermonem Dei descriptam Gen. I. 3. 5, *non nisi de* sermone proprio tali nos debere intelligere, defensurus. Quibus quidem cladem mihi inferre ntitur, qui sermonen, Deo a Mose Gen. I. 3. tributum, improprie intelligendum esse dixeram Theol. Reu. §. 920. Sch. Sed salua res est, & notionibus distincte euolutis, tota controuersia iterum in logomachiam abit. Scilicet ego sermonem proprio talem vocavi statu mentis per voces articulatas (motu aëris tremulo factas) significationem (§. 35.). Et quia verba Dei creantis per aërem verberatum, motumque illius tremulum facta non esse, ipse concedit Dn. Opponens (§. 36. Sch.), pro hac mea definitione etiam sermonem Dei creantis proprio talem non fuisse, vt concedat, necesse habet. Contra ea Dn. Dissentiens sermonem dicit omnem manifestationem cogitationum, in mente latentium, per signa (§. 42.). Et quia, creaturas actu producendo, per hanc productionem externam, vt signum voluntatis internæ, Deus voluntatem internam de creaturarum existentia manifestauit (§. 40.), pro ista definitione, si vt vera supponatur, tametsi in se latior definitio sit (§. 42.), vicissim concedo, verba, in creationis actu Deo tributa a Mose Gen. I. 3. 5. de sermone proprio esse intelligenda. Nullum igitur qua rem ipsam

sam sententiarum diuortium est, sed quilibet pro sua definitio-  
ne dicit veritatem. Hinc res non potest non redire ad defini-  
tiones, ex quibus si meam nimiae angustiæ iniuria accuset Dn.  
Dissentius, iure ego amplitudinem iusto latiorem illi, quam  
ipse dedit, exprobro (§. 42.), neque adeo est quidquam, quod  
contra me proficerit.

## §. 45.

Sed conuertit se iam Dn. Dissentiens an. 6. p. 44. ad ratio-*An recte Dn.*  
nes proferendas, cur sermonem, Deo a Moysi in creatione tri-*Opponens*  
butum, proprium fuisse defendat. Est autem earum prima: *sermonem*

- i.) *quod a proprietate verborum sine vrgente necessitate non sit Dei creantis  
recedendum; qualis vero b. l. nulla adsit, dummodo ea, que propriæ ta-  
sermonis ore producuntur propria sunt, a sermone in se & forma- baueris?*  
*liter spectato, scilicetantur.*

Inanis hic ictus, nec vlla est consequentia ratio. Etenim si  
concludas:

*Vbi vrgens necessitas non est, non est a proprietate verborum  
recedendum.*

*Atqui in verbis Mosaicis Gen. I, 3. dicebat Deus: fiat lux! vr-  
gens necessitas, proprietatem verborum relinquendi, non  
est. E.*

in probatione propositionis minoris, res iterum redit ad defi-  
nitionem de sermone proprio. Mea enim definitione sermo-  
nis posita (§. 35.), adeo vrgens, proprietatem verbi relinquendii,  
necessitas (§. 36.), ipso Dn. Opponente confitente, qui per  
aërem verberatum non locutum esse Deum, lubens concedit  
(§. 36. Sch.). Posita autem definitione Dn. Opponentis, non  
est quidem vrgens, proprietatem verbi relinquendi, necessitas  
(§. 44.), at definitio ipsa latior definitio, & hinc male formata  
est (§. 42.), nec Dn. Opponens, rite illam se habere, ostendit.  
Quoniam igitur in definitione mea adquiesco, maner milii vr-  
gens necessitas dicendi, quod sermo Deo creanti Gen. I, 3. 5.

F

tribu-

tributus, non possit de sermone proprie tali intelligi. Si dicas autem, ita definitionem de sermone proprie tali formandam esse, vt pro illa sermo, Deo creanti Gen. I, 3. tributus, sit proprie talis, inane hoc inuentum est. Eodem enim modo dicendum esset, definitionem de vite proprie tali ita formandam esse, vt pro eadem Christus vitis proprie talis sit (§. 37. Sch.). Nam simili ratione hic, ac in loco priore, dicere poteris, quod a proprietate verborum sine necessitate recedendum non sit. At non arbitror, lectorum prudentem credere, quod definitio vits ita ponenda sit, vt Christus sit vitis proprie sic dicta. Est porro ratio secunda:

2.) *quod scriptores sacri, de creatione verba facientes, mira consensione voces adhibeant, quibus sermo verus maximeque proprius indicetur, dum Deum dixisse, vocasse, iussisse, praeposse dicant (§. 41.).*

Hic etiam ictus aërem ferit. Sunt enim locutiones illæ, vt dicunt Logici, æquipollentes. Quodsi igitur in uno loco adest, vt paulo ante ostensum, ratio relinquendi proprietatem verborum vrgens, eadem est etiam in reliquis. Quocirca non est, cur de quolibet loco seorsim disputemus. Nec vlla est consequentia:

*Scriptores S. de creatione verba facientes, repetitis vicibus adhibent voces: dicere, vocare, iubere, præcipere.*

*Ergo sermo, a Moſe Deo Gen. I, 3, tributus, est sermo proprius talis.*

Quoties Christus in vaticiniis prophetarum dicitur germen Ies. XI, 1. Ier. XXIII, 5. XXXIII, 15. Zach. III, 8? An ideo germen proprie tale dicendus est? Succedit argumentum tertium,

3.) *quod huius momenti est:*

*Si omnia, qua ad sermonem proprie talem requiruntur, sc. persona intellectu & voluntate predita, que loquitur, cogitata mentis diuina, eaque signis, que ipsa creature sunt, inuoluta, deni-*

denique voluntatis diuina manifestatio per ipsas creatureas,  
quasi foras prodeentes & exsiliere incipientes, in sermone Dei  
Gen. I, 3. adsunt, sermo ille est proprie talis.

Sed verum est antecedens. E. & consequens.

Ex hoc autem argumento nihil amplius conficitur, nisi sermonem Dei Gen. I, 3. esse proprium pro definitione sermonis, quam Dn. Opponens dedit, id quod non negauit (§. 44.). Ne-gauit autem, illam definitionem recte se habere (§. 42.), Quam-obrem definitione, ut principio, destructo, conclusio etiam corruit, Denique

4.) ad mea etiam verba Theol. Dogm. §. 920. Sch. prouocat, ubi,  
sermonem Dei Gen. I, 3. prater λόγον ὑποστατικὸν etiam προφο-  
ρικὸν indicare, docui.

Sed nulla iterum est consequentia:

Carpouius, sermonem Dei Gen. I, 3. λόγον προφητικὸν etiam in-  
dicare, adfirmat.

E. Sermo ille est sermo proprie talis.

Nam per λόγον illum προφητικὸν ipsum voluntatis omnipotentis iussum, quem pro mea definitione sermonem proprie talem esse, nego (§. 36.), concedo autem, sermonem per eminentiam talem esse (§. 40.), l. c. indicaui,

### §. 46.

Interea Dn. Opponens, etiam si sermonem Dei Gen. I, 3. *An repugnet proprium fuisse velit, humano tamen longe sublimiorem, adeoque auctor dis-  
prosus singularem fuisse defendit anim. 7. pag. 45.* Quod inde est probaturus, quia non factus sit per motum aëris tremulum, *centi, subli-  
qua ratione hominum sermo soleat produci.* An in hoc me habet reluctantem? Plane non. Ex meis enim principiis in superioribus demonstravi, sermonem illum Dei esse sermonem per eminentiam (§. 40.). Quid igitur supereft difficultatis? Dn. Opponens, hunc Dei sermonem per eminentiam talem simul *An ille sermo proprium fuisse, defendit.* Pro definitione de ente per eminentiam *Dei possit si-  
mul proprie*

*& per eminentiam talis esse?* tiam tali id nequit recte fieri. Ens enim per eminentiam est, quod proprie tale non est, sed loco eius, quod proprie repugnat esse, habet aliquid præstantius (§. 39.). Quæ facile ex exemplis perspici potest definitio. Ita enim dum Deum adsero habere sensus & imaginationem & memoriam per eminentiam Theol. Dogm. §. 567. 568. Sch. 2, nullum eorum in sensu proprio, i. e. eo, quo hominibus conuenit, de Deo potest prædicari. Par est ratio sermonis, Deo tributi hoc loco. Dum est sermo per eminentiam talis, loco eius, quod in proprio sermone adest, præsto est aliquid præstantius, h. e. loco significationis cogitationum per voces articulatas adest significatio cogitationis vel voluntatis interioris per ipsam externam creaturarum productionem. Hinc sermo Dei creantis dum est sermo per eminentiam, non est sermo proprie talis, quia hæc duo sibi inuicem opponuntur. Quodsi vero sermonem illum Dei creantis sermonem proprie talem per eminentiam hoc sensu dicas, quod habeat omne id, quod ad sermonem per eminentiam requiritur, non reluctor. De rebus enim dispergo, non de verbis. Ceterum simile, *de generatione Dei Patris eterna, qua propria sit, & nostra tamen humana generatione longe sublimior*, h. e. per eminentiam talis, me ipso ita Theol. Dogm. §. 821. Sch. 3. §. 862. Sch. docente, *allatum*, nihil contra me prodest. Definitio enim generationis Theol. Dogm. §. 815, qua omnia requisita ad istam diuinam generationem potest adPLICARI Theol. Dogm. §. 816; quamobrem recte generatio hæc pro proprie tali, non obstante sua præ humana præcellentia, habetur. At dispar est ratio definitio de sermone proprie tali, quæ qua omnia membra ad sermonem diuinum Gen. I, 3. adPLICARI nequit (§. 36.). Quo se ita habente, propter disparitatem rationis male procedit argumentatio.

§. 47.

## §. 47.

Accedo ad sequentia diluenda. Anim. 8. p. 46. *singulare An singulare Theologia Carponiana esse*, dicit Dn. Opponens, quod *Auctor sit, quod aut illius, Gen. I. 3. 6. non posse sermonem Dei proprietalem intelligi,* & *adfirmauerit.* Cum autem sermonem proprietalem vocem, qui per motum aëris tremulum producitur (§. 35.), & pro hacce notione sermonem illum diuinum proprietalem fuisse negem (§. 36, 37.), quod simili ratione Dn. Opponens negare debet (§. 44.), dum sermonem illum per vibrationem aëris factum esse, negat (§. 36. Sch.), si quid id singulare est, non Carponianum tantum, sed etiam Clugianum erit. Quamobrem secum ante disputabit Dn. Opponens, quam ad me confutandum vterius accedat. Si autem singulare illud in ipsa sermonis definitione a me data (§. 35.) querit, nego, illum singularem esse, quia vulgari usui loquendi conformis est. Contra ea vero admodum singularis est definitio sermonis, a Dn. Opponente data, utpote qua posita muti etiam, nec homines tantum, sed ipsa etiam bruta vel pedibus & quo non? proprii loqui, & sermones facere dicenda sunt (§. 42.), quod vel stupidissimis hominibus Boëoticisque ingenii audientibus ridiculum & absurdum est. Quo se habente ita, desino mirari, quod *responsionem ad singularia sua Germanico idiomate adornari prohibuerit, & nefas esse iudicauerit* Dn. Opponens, *ut de controversis presentibus coram plebe imperita & mulierculis vel inspectantibus vel adplaudentibus disceptetur* anim. 9. pag. 151. His enim, ne per singularia sua comedendum & deridendum se propinaret, sine dubio est veritus.

## §. 48.

Cur sermo Dei creantis Gen. I. 3. non possit de sermone *An auctor in proprietali intelligi, hanc rationem in Theol. Dogm. §. 920. Theologia Sch. dederam, quod Deus ibi versatus fuerit circa res, intel-* Reuelata

F 3

lectu repte proba.

uerit, sermo lectu & ratione carentes. Quæ quidem ratio pro mea sermonem Dei cre- nis proprii definitione manifestissima est. Ita enim conclusi: antis non fuisse proprium?

Si Deus in sermone Gen. I. 3. 6. versatus est circa res, intellectu & ratione carentes, sermo ille non fuit talis, qui voce articulata & motu aëris tremulo produceretur.

Sed verum est prius, quod ipse non negat Dn. Opponens. Ergo etiam posterius.

Consequentia elucet inde, quia res illæ, intellectu ratione que carentes, neque aures habuerunt, quæ sono verborum isto verberari, nec mentes, in quibus per voces illas ideaæ produci potuerunt; Deus autem sine ratione non agit; prout ipse docuit Dn. Opponens pag. 93. non posse Deum aliquid velle propter sapientiam suam infinitam, quod nullius foret utilitatis.

Porro:

Si sermo ille Gen. I. 3. 6. non fuit talis, qui voce articulata & motu aëris tremulo produceretur, non fuit sermo proprius, per definitionem de sermone proprio (§. 35.).

Sed verum est prius per Syll. præced. Ergo etiam posterius. Nihil hic supereft, quod cum ratione infringat Dn. Opponens, nec tamen ad sensum præbet. Profert an. 8. p. 46. instantiam de homine, in solitudine verba faciente, qui iamen sit sermo proprius talis, etiam si nemo intellectu & ratione prædictus ad sit audiens. At illa, si quid probaret, cum nil probet, quia ab homine, ut ente imperfecto, ad Deum, ens perfectissimum, non rite procedat consequentia, probaret hoc, quod sermo Dei Gen. I. 3. per motum aëris factus sit, quod ipse negat Dn. Opponens (§. 36. Sch.). Evidem porro Moses cum petra loqui interbatur Num. XX. 8. At coram Israëlitis, qua verba dissimulat & reticet Dn. Opponens an. 8. p. 46. candoris promissi specimen editurus, illud siebat; quamobrem a casu isto ad sermonem Dei Gen. I. 3. ad meras creature, intellectu & ratio-

ns

ne carentes, non valet consequentia. Ne repetam, quod ex hoc etiam sermo Dei, per aëris motum factus, sequeretur, quem Dn. Opponens negat. Nec est, cur angelorum causa, si forte statim in principio creati sint, Deum eiusmodi sermonem, quem ego proprium voco, fecisse, dicas. Ii enim, ipsas creaturas in sui productione intuentes, nullamque earum causam præter solum Deum esse perspicentes, ex ipsa operatione Dei voluntatem eius internam de creaturarum existentia sine verbis, aëris sono productis, cognoverunt; proindeque ex opere creationis occasionem laudis diuinæ rectissime ceperunt Job. XXXVIII. 7.

*SCHOL. 1.* Quamvis autem rationem, a me propositam, legitimam esse defendam (§. 48.), non tamen ideo, solam istam, omnibus reliquis reiecis, locum habere debere, adstruo. Potest enim ex eo etiam, quod sermo proprius talis fiat per motum aëris (§. 35.), at aëre die creationis tertio demum creatus fuerit Theol. Reu. §. 947, sermonem Deicreatis Gen. I. 3. s. proprium non suffit concludi, ut feci in superioribus §. 36. E contrario dum Dn. Opponens, sermonem Dei creantis Gen. I. 3. per vocem articulatam factum non esse, ex eo argumento probaturus est an. 7<sup>a</sup> p. 45, quod Deus non habeat os, nec organa alia, ad sermonem ore proferendum necessaria, nihil agit. Nam ex eodem argumento nec sermonem Dei ad Adamum & Euam, aut ad Abrahamum Mosenus, aut in baptismo Christi per voces articulatas factum esse, sequetur. An forsitan Deus post creationem os & organa loquela habuit, in creatione non habuit? Sic Dn. Opponens aduersus meum argumentum irrito conatu disputans. (§. 48.), & in locum eius clumbe aliud substituturus, intelligendo pro sua sapientia facit, ut nihil intelligat.

*SCHOL. 2.* At præter opinionem Dn. Adgreforem, ex eo etiam capite argumentum modo defensum (§. 48.) in suspicionem falsitatis adducantem, inuenio an. 9. \* p. 49, quod Maimonides secundum mentem meam de re illa fuerit locutus. B. Glaffius enim ritati obfit? in Philol. S. p. 1563, sermonem. Deo creanti Gen. I. 3. tributum, per anthropopathiam & hinc improprie intelligendum esse docens, idque ex Theologorum consensu confirmans, Mosis Maimonidis verba

verba etiam in More Neuochim part. I. c. 65. excitavit: sermo, quo aliquid praecepitur & mandatur, necessario dirigi debet ad ens quodpiam, quod illud mandatum potest recipere. Tunc autem (Gen. 1. 3.) nulla entia adhuc fuerunt. Vnde sequitur illa de sola voluntate esse intelligenda. In quibus quidem Dn. Opponens inuenisse sibi aduersus me visus est, quod reticere nefas iudicauit. Digna est haec obiectiuncula, in qua acumen Dn. Opponentis singulare miremur. An Iudeum non posse interdum veritatem dicere, putas? An ideo quid falsum est, quia Iudeus dicit? An negabis, Christum Dei filium esse, quia id dixit diabolus Marc. III, 11. Luc. IV, 41, quem ipse Christus patrem mendaciorum adpellauit Ioh. VIII, 44? Ex argumentis non ex loquentis persona veritas estimanda est, quia etiam interdum est olitor valde opportuna locutus.

## §. 49.

*Quo sensu  
Dee creanti  
λόγος προφητεία  
nisi tribuitur?*

Vnum in hoc capite quia expediendum restare, putat Dn. Dissidentis an. 9. pag. 47. ad hoc vnum etiam sumus adhuc responsuri. Adserui Theol. Reu. §. 920. Sch. verbum Dei, quo mundus creatus dicitur Ps. XXXIII. 6. Hebr. XI. 3. non solum significare λόγον ὥστατικὸν, b. e. filium Dei, sed etiam προφητείαν b. e. ipsum voluntatis Dei actum recte per illud intelligi. Dn. Opponens hic, enarratis antea Theologorum opinionibus, quæ licet nil ad rem, ad paginam tamen implendam faciunt, λόγον προφητείαν sensu vel laxiori vel angustiori capi ita, ut illo orationem signo externo, qualemque tandem illud fuerit, circumuestitam, hoc sermonem ore prolatum, & per aërem quasi verberatum, transportatum, auribusque perceptum denotet, commentatur, mandatumque Dei creantis Gen. I. 3. non posteriori, attamen priori sensu recte λόγον προφητείαν adpellari, statuit. Neque haec contra me sunt. Dum enim sub verbo, quo mundum Deus creauit, λόγον προφητείαν recte etiam intelligi, docui, Theol. Reu. I. c. addidi statim explicationem scribens: hoc est, ipsum voluntatis Dei actum. Sed actus ille voluntatis diuinæ efficax fuit sermo Dei per eminentiam (§. 40.) Hæc igitur

CAP. IV. DE COMMVNICAT. POTENTIÆ CREATRICIS. 49

igitur contra me monere, labor supernacuus & inanis erat.  
Reliqua de sermone Dei proprio satis iam sunt discussa, nec opus  
est, vt eandem crambem recoquamus.

CAPVT IV.  
DE  
COMMVNICATIONE POTENTIÆ  
CREATRICIS.

§. 50.

Tria sunt, quæ hoc capite Dn. Opponens adgreditur. Ni-  
mirum 1. tangit quæstionem : an tres Diuinitatis persona Dn. Oppo-  
fint causa creationis socie ? 2. De communicatione potentia cre-  
atricis, 3. de communicatione potentie miracula patrandi, agit.  
Quia autem de media doctrina & in medio capit is & in fine  
disputat, de communicatione potentia miracula patrandi pri-  
us agemus, quam ad communicationem potentia creatricis ac-  
cedamus. Ita enim rectius faciliusque lector de toto negotio  
poterit iudicare.

§. 51.

Quod ad primum attinet, tres Diuinitatis personas causas Censure Dn.  
creationis socias non esse, adferui, & ex principiis Theologicis, Opponentis  
mediante definitione causarum sociarum, demonstrauit Theol., circa doctrinam, quod  
Reu. §. 924. Neque Dn. Opponens in eo dissentit, sed demon-  
strasse me, quod verum est, confitetur an. I. p. 49. At vt in per-  
tempstium carpendi, qua non intelligit, pruritum sapienti-  
amque transmarinam lectoribus ante oculos poneret, varia nisi causa so-  
funt, quæ desiderat. Nam ipso iudice l. c. cia.

I. Definitio causarum sociarum a me omittenda fuisset, quia  
illa ad Philosophiam pertineat ; ego vero nexus rerum Theo-  
logicarum in prefatione Theol., Reu., predicauerim, promise-  
rimus.

G

rimus.



rimue. Non enim rerum Theologicarum nexus esse, putat, aut demonstrationem, vbi res Theologica pariter ac philosophice mirum in modum inter se permisceantur.

2. Definitio causarum sociarum non recte formata est, quia non enucleate satis explicit, que ad indolem causarum sociarum cognoscendam spectent.
3. In probatione dicti dogmatis dicta biblica a me omitti non debuissent, quippe sine quibus doctrinis rerum Theologicarum nulla sit. Videbimus singula scorsim.

### §. 52.

*An auctor* I. Definitionem de causis sociis in se ad Philosophiam perpeccauerit, tinere, non ignoro, nec nego. Nego, inde recte sequi, quod, definitionem eandem systemati propositionum Theologicarum intendo, de causis <sup>so-</sup> inconuenienter egerim. Vnde, quæsto, probabis maiorem: *causis in Theo-* quecunque definitio in se ad Philosophiam pertinet, illa omit- *logia dando?* tanda est in sistente propositionum Theologicarum?

*Non est*, inquis, rerum Theologicarum nexus, vbi res Theologica & Philosophica inter se permiscerentur. Nego, rerum Theologicarum & Philosophicarum permixtionem esse, vbi definitio, sine qua conclusio quædam Theologica nec distincte intelligi, nec veritas eius ex principiis concipi potest, ex Philosophia in Theologiam transfertur. Dudum Theologi saniores, rationis in Theologia non formalem tantum usum qua præcepta Logica, sed etiam materiale, ut principia Philosophica ad conclusiones Theologicas inferendas, debita adhibita circumspetione, adhibeantur, conclusionem autem, ex altera præmissa S. Scripturæ, ex altera rationis vel Philosophica illatam, non rationis, sed de fide diuina & Theologicam esse, recte agnoverunt Theol. Reu. §. 228. Sch. i. An qui vel a ratione loquendi, in scholis Theologorum recepta, recedere nefas indicas p. 24, omnibus illis miram permixtionem rerum Theologica-

gicarum & Philosophicarum oggannies? Quodsi vero conclusio de fide diuina vel Theologica est, quæ ex altera præmissa reuelata, ex altera rationis infertur Theol. Reu. §. 228, potest etiam manere rerum Theologicarum nexus, etiamsi eidem, vbi opus est, definitio ex Philosophia sumpta, inferatur. Et quid multis? Ipse Dn. Opponens an. 6. pag. 7. 8. docuit, *vbi in enarratione rerum Theologicarum terminorum Grammaticorum, Rhetoricorum, Philosophicorum definitione opus sit, ad illam disciplinam, cuius sunt proprii, recurrentem, & ex ea definitionem pertendam esse.* Vnde sequitur, definitionem causarum sociarum, dum Theol. Reu. §. 924. ea, ad propositionem Theologicam recte intelligandam & demonstrandam, opus erat, recte ex Metaphysica, utpote ad quam pertinet, esse repetitam. Dn. Opponens autem h. l. negans, quod in superioribus clarissime concessit, ipse sibi contradicit, nescit, quid dicat sentiatue, indigneumque se, cui respondeatur, reddit. Bene igitur Dn. Opponens fecit, *singularium titulo refutationem Theologiae meæ tentatam denotando, quia tam euidentes contradictiones eruditioñis & acuminis specimina sunt admodum singularia.* Dabo autem, vt, quam ieiuna animaduersio sit, cognoscatur, responsionem aliam. *Propositio Theologica: Tres Diuinitatis personæ non sunt causa sociæ creationis, sine definitione de causis sociis nec distincte intelligi, nec concipi potest.* Aut igitur illa definitio danda est, aut non est. Si non est, studiose obscuritatem dissentibus obtrudis & postulas, vt credantur, quæ non intelliguntur, & si vbique eandem sectoris docendi rationem, Theologiam in sonos sine mente conuerteris. Egregium sane Theologiae Doctoris specimen! Si est danda, non potest non inde desumii, vbi sedem propriam habet, h. c. ex Metaphysica. Ad Philosophiam enim, non ad Theologiam eam in se pertinere, ipse concessit Dn. Opponens,

## §. 53.

*An definitio  
causarum  
sociarum  
recte forma-  
ta sit?*

2. Porro *definitio causarum sociarum*: Causæ sociæ dicuntur, quæ simul, qualibet vero vi, a vi alterius numero diuersa, agente, effectum producunt Theol. Reu. §. 923, non enucleate *satis explicare* dicitur, *que ad indolem causarum sociarum cognoscendam spectent*. Quid ita? Ad causas socias, Dn. Opponentem loqui audis anim. I. pag. 50, duo imprimis requiruntur, 1. ut alia atque alia virtute ad effectum concurrent, 2. ut illis in effectu diuersæ respondeant partes, sive ut sint causæ partiales. Vtrumque in causis sociis obtinere, fateor, nego, necessarium fuisse, ut vtrumque in definitione claris verbis poneretur. Prior enim character, quem in definitione expressi, sufficiens erat, ad causas socias cognoscendas distinguendasque ab aliis, & ad conclusionem, quæ mihi probanda erat, inferendam; quorum posterius ex §. 924. Theol. Reu. constat, prius verum est, donec per instantias a Dn. OppONENTE, quod adhuc factum non est, infringatur. Quoniam igitur ipse Dn. Opponentis definitionem, redundantia complectentem, reprehendit supra an. 5. pag. 4. 5. hoc loco autem definitionem causarum sociarum ideo, quod redundantia non complectatur, dente Theonino rodit, denuo ipse sibi repugnat, ut nescias, quid demum velit aut sentiat? At utroque charactere in definitione expresso, facilius, tres Deitatis personas causas creationis socias esse, negatur. Hoc nego. Facilius sine dubio est, quod minori, quam quod maiori adparatu obtinetur, & quod per pauca fieri potest, id per plura fieri non debere, trito proverbio dicimus. At causas socias creationis non esse Deitatis personas, ex unico charactere causarum sociarum, a me posito, scilicet quod quælibet vi, a vi alterius numero diuersa, agat, legitime poterat demonstrari, ipso Dn. OppONENTE formatam inde demonstrationem meam concedente. Non igitur opus erat, ut eterque, a Dn. OppONENTE expressus, character adsu-

mere-

meretur. Quin potius argumentum Dn. Opponentis inuenito ita:

Quæcunque definitio demonstrationem theses, quod persone Diuinitatis non sint causæ sociæ creationis, reddit faciliorem, illa est præferenda; quæ est maior Dn. Opponentis.

Sed mea id facit, quia pro eadem ex unico charactere sequitur, quod Dn. Opponentex duobus vult deriuatum. Ergo mea definitio causarum sociarum est præferenda.

Quod autem ad loca S. Scripturæ allegata attinet, illa me non ferunt, quia nihil eorum negauit, quæ in illis continentur.

### §. 54.

3. Postremo etiam demonstratio theses, quod Deitatis persona causæ creationis sociæ non sint, & ipsa thesis a Dn. Opponente concedatur, id tamen vitio mihi vertit an. i. p. 51. *Solutio obiectionis de locis biblicis non excitatiss.*  
quod dicta biblica non legantur adiecta. Aut h. l. loca S. Scripturæ intelligit, in quibus *xata rō jn̄rō* legatur: *Diuinitatis persona creationis causæ sociæ non sunt*, aut talia, ex quibus idem per legitimum concludendi modum inferatur. Si de posterioribus loquitur, nego quod obiicit. Nam in §§. allegatis loca S. Scriptura inueniet; neque adeo ea repetere, opus erat. Si de prioribus, velim, ut excitet eadem loca. Sed ne unicum quidem eiusmodi nominavit; quamobrem reprehensio ista non potest non corrue. Dum autem *sine dictis biblicis apud eis rerum Theologicarum nullam esse*, contendit, neque hoc videtur recte intelligere. Nam quamvis id in se verum sit, potest tamen ex dictis biblicis *apud eis* non immediate tantum, sed mediate etiam per ratiocinationes polysyllogisticas fieri Theol. Reu. §. 225. Sch. Et talis cum sit mea demonstratio Theol. Reu. §. 924. in casum & per obtestationem Dn. Opponentis

ponens scribit, *boc non esse sententiam propositam Theologice demonstrare*. Hactenus de primo præsentis capitinis membro.

## §. 55.

*Quid auctor concedat in doctrina de miraculis a thaumaturgis editis?* Quod ad alterum (§. 50.) attinet, prætermisso anim. 2. 3. 4. 5. p. 51. seqq. in quibus de communicatione facultatis creatricis actum est, quæ de communicatione facultatis miracula patrandi Dn. Opponens sâpe non sine acerbitate differuit, prius veniunt examinanda. Ut autem rectius & circumspectius de hac re lector iudicet, & de quibus controversia inter me & Opponentem non sit? & in quo vertatur cardo disputationis? ante omnia explicandum est. Scilicet, quod anim. 13. pag. 69. adstruit, concedo 1. prophetas & apostolos & alios quosdam thaumaturgos revera miracula fecisse. Quis enim apertis S. Scripturæ effatis Ex. XI, 10. Deut. XXXIV, II, 12. Marc. XVI, 17, 18. aliisque repugnabit? Moneo autem, nondum inde, vtrum miraculorum causa principalis, an minus principalis? an instrumentalis fuerint? neque modum, quomodo fecerint? constare. Neque enim a causa indeterminate ad hanc vel illam illius speciem, neque a re ipsa ad hunc vel illum illius modum consequentia valet. Concedo 2. prophetas apostolosque patrassen miracula virtute non propria, vel naturali, sed aliunde accepta. Virtutem enim miracula patrandi facultates hominis naturales excedere, supra dubitationis aleam est positum, Quamobrem rectissime Petrus *ἰδίᾳ δύναμι εἰνεβείᾳ* claudum se fassæ, quod sibi forsan persuadebant spectatores, negabat Act. III, 12. 6. Concedo 3. prophetas apostolosque facultatem miracula patrandi a solo Deo accepisse. Dum enim solus Deus per se miracula potest patrare Theol. Dogm. §. 660, a solo Deo etiam virtus patrandi miracula potest obtineri. Quo pertinent loca Ex. IV, 21. Luc. IX, 1. Concedo 4. apostolos miracula edidisse virtute Deo propria & infinita. Nam facultas miracula patrandi consequens est omnipotentia Theol. Reu. §. 660, quæ virtutem

tem agendi infinitam inuoluit Theol. Reu. §. 655. Concedo 5. collationem vel communicationem virtutis miracula patrandi non ita factam esse, ut tanquam qualitas naturalis vel spiritualis, in prophetis & apostolis subiective inheret. Subiective inhæret soli Deo Theol. Reu. §. 660, quia est consequens omnipotentiæ l. c. omnipotentia autem soli Deo subiective inhæret Th. Reu. §. 654. 774. Concedo 6. communicationem illam factam esse per verbum mandati diuini vel generalis vel specialis de certis quibusdam operationibus suscipiendis & promissionis de euentu secuturo sub conditione debita. Ita enim e. g. Mosi, miracula edituro, certas operationes perficiendas Deus præcipiebat Ex. IX. 8. 22. X. 13. &c. & Christus, ante adscensionem apostolis potestatem miracula edendi conferens, dabat illis promissum de euentu secuturo sub conditionibus debitiss Marc. XVI. 17. 18. Concedo 7. in exercitio communicate huic virtutis ex parte viorum diuinorum obsequio opus fuisse erga mandatum & fidem in promissionem diuinam, vbi quidem de fide miraculosa sermo est. Nam sine fide miraculosa, promissioni diuinæ certo innixa, non poterant discipuli Christi diabulos expellere Matth. XVII. 19. 20. & in miraculis Mosaicis, edita a Moysi operatione externa, ad mandatum diuinum conformata, oriebatur miraculum Ex. XIV. 21. XVII. 6. quod e contrario non eueniebat, mandati limites Moysi transgrediente Num. XX. 8. 11. 12. de quo ipse Dn. Opponens licet in se non male, non tamen aduersus me disputauit p. 72. seqq. Concedo 8. apostolos & prophetas virtute miracula edendi non pro arbitrio vsos esse, sed in exercitio eius debitam circumspetionem adhibere debuisse, ut ad finem diuinum applicarentur. Singulari enim dono diuino, qualis erat facultas miracula patrandi, contra finem diuinum vti, vel potius abuti, nefas fuisset. Cuius rei exempla & testimonia pluribus enarravit Dn. Opponens p. 75. 76. Denique concedo etiam 9. viris diuinis potestatem miracula edendi ita

inter-

interdum collatam fuisse, vt ipse pro re nata cum aliis eam communicare potuerint, licet non pro arbitrio proprio, sed ex consilio & voluntate Dei. Ita enim propheta Elias Elisæo, quem diuinitus monitus successorem constituerat i. Reg. XIX. 16. portionem geminam spiritus sui, ad quem facultas θαυματεργυην etiam pertinebat z. Reg. II. 14. 15. reliquit l. c. v. 9. Et simili modo Paulus manuum impositione effecit, vt discipuli Ephesini, Spiritum S. accipientes, linguis loquerentur & prophetarent Act. XIX. 6.

## §. 56.

*Status queri-  
fionis quis?* Quamvis autem hæc omnia concedantur, & a me ipso docentur, non est tamen, quod inde aduersus me lucretur Dn. Opponens. De his omnibus enim non quærebatur, sed quæritur de hoc: quomodo a prophetis & apostolis patrata fuerint miracula? & quod inde sequitur: quomodo facultas miracula patrandi, soli Deo in se propria, communicata sit, & potuerit communicari cum prophetis apostolisque? Hoc enim quæstionis momentum esse, ipse fatetur Dn. Opponens anim. 6. p. 57, in limine huius disceptationis scribens: sed quo pacto, vt de eo quoque dissciamus, virtutem miracula patrandi, Dn. Auctor censet, cum hominibus quondam communicatam fuisse?

## §. 57.

*An propheta  
& apostoli  
miracula  
ediderint per  
facultatem  
subiectiue in-  
herentem?* Dum igitur de hoc quæritur: quomodo ab apostolis & prophetis miracula, que ediderunt, edita sint? hoc quidem constat, non ita ab ipsis edita esse miracula, vt facultas thaumaturgica illis subiectiue inhæserit. Annon enim hæc est pro nostro concipiendi modo omnipotentia consequens? Annon θαυματεργυην igitur ei soli subiectiue inest, cui subiectiue inest omnipotentia? Sed omnipotentia soli Deo inest subiectiue propter infinitatem, quam habet solus Theol. Reu. §. 774. Dum igitur omnipotentia non potest homini subiectiue inesse, idem de facultate miracula patrandi valet. Ergo ea etiam miracula, quæ

quæ ab apostolis & prophetis edita sunt, non sunt ab ipsis edita per facultatem miracula patrandi, ipsis subiective inhærentem.

*SCHOL.* Tanta hæc veritas evidenter lucet, vt ipse etiam Dn. *Consensus* Opponens perspicerit. Ille enim anim. 13. pag. 70: *Collatio, Dn. Oppo-* inquit, *sue communicatio huius virtutis non ita facta est, ut tan-* *nentis,* *quam qualitas naturalis vel spiritualis in prophetis & apostolis sub-* *iective inhærebet. &c.* Et similiter, an. I 5. p. 83: *non virtute ies-* *sibi propria ediderunt (apostoli miracula), ut illa in ipsis vel por-* *naturam, vel per gratiam, tanquam proprietas in subiecto, inesse.*

### §. 58.

At nondum exinde positioe constat, quomodo ab aposto- *Quomodo* lis & prophetis miracula, quæ ediderunt, edita sint? In quo positiue Mo- ne erremus, tutissimum erit, ad ipsam S. Scripturam, Mosis, *fes miracula* summi V. T. prophetæ, & apostolorum miracula narrantem, *sua prefige-* attendere. Etiamsi enim non opus fuerit, ut in omnibus lo- *rit?* cis modus, quo a viris thaumaturgis miracula facta sunt, ex- primeretur, sufficit tamen, in quibusdam indicari, quia locus minus clarus, i. e. in quo modus non est expressus, ex magis claro, i. e. tali, in quo is expressus est, potest & debet expli- cari (Th. Reu. §. 326.). Videamus t. de miraculis Mosis. Post nouem per Mosen facta in Ægypto & coram conspectu Pharaonis miracula, ipse Moses scribit: *Moses & Aaron omnia hec miracula fecerunt coram Pharaone Ex. XI. 10.* Ut cognosca- mus autem, quomodo fecerint? superiora sunt confulenda. Ex. VII. 20. *Moses & Aaron iussu diuino baculo aquam flumii percussisse* dicuntur, quo facto, *aqua in sanguinem* fuerit com- mutata; at v. 25. *ipse Deus flumium, puta ita, ut in sanguinem conuerteretur, percussisse* dicitur. Ex. VIII. 5. *Aaron baculum eleuasse* dicitur super flumina & stagna Ægypti, ad ranas producendas; at v. 2. *productionem ranarum ipse sibi Deus vin- dicat.* Eodem modo *productio insectorum*, quæ sine dubio, ut

reliqua miracula, etiam per Mosen & Aaronem facta est, ipse  
 Deo tribuitur Ex. VIII. 21, 24. Porro ne de clade pecudis Egy-  
 ptiacar, quam Deus pariter fecisse dicitur Ex. IX. 3, 6, neque de  
 vlerum productione, vbi id tantum fecisse dicitur Moses, quod  
 fuliginem fornacis in altum proiecerit, quo facto vlerum in-  
 fectio Agyptios diuexauerit Ex. IX, 8, 10, dicam, eudentissi-  
 mus locus est de grandine & tempestate excitata, vt pote vbi  
 Mosis & Dei operationes clarissime a se inuicem distinguuntur.  
 Nam Ex. IX, 23, *Moses baculum versus cælum eleuasse iussu di-*  
*uius, ad tempestatem cum grandine excitandam, Deus autem*  
*tonitrua cum fulgere & grandine in terram mississe dicitur, adeo,*  
*vt eodem versu bis idem effectus Deo tribuatur.* Similis est  
 sequentis miraculi ratio. Cum enim locustæ terris Agyptiacis  
 immittendæ essent, Moses, a Deo iussus, baculum super Agyptum,  
 ad locustas immittendas, erigebat, at Deus eurum locustis fertilis-  
 simum immittebat, teste ipso Mose Ex. X, 12, 13. Vnde facile pa-  
 ter, modo eodem tenebrarum productionem v. 22. intelligen-  
 dam esse, sc. quod, Mose manum versus cælum eleuante, ipse  
 Deus tenebras produxerit. Addo locum alium, sole meridia-  
 no clariorem. Ex. XIV, 16, *Deus Mosen baculum super mare ru-*  
*brum erigere illudque diuidere iubet; cuius executionem v. 21,*  
 ipso Moses ita describit: *Cum Moses extendisset manum suam*  
*versus illud mare, abgens Iehoua mare ipsum euro vehementer tota*  
*illa nocte, redigit mare in siccum, & diffidit se aqua illius.* Ex  
 quibus omnibus patet, ita a Mose facta esse miracula, vt ipso  
 ad mandatum diuinum actum externum, miraculi producendi  
 ergo, perficiente, adeoque productionem miraculi volente, per  
 ipsam diuinam vim infinitam effectus miraculosus productus  
 sit, vel Deus miraculum præstiterit; id quod eo magis est  
 concedendum, quod velut Mosis & Aaroni Ex. XI, 10, sic ipsi  
 Deo etiam omnia illa miracula Agyptica tribuuntur Ex.  
 III, 20. Quamobrem dum Moses summus V. T. propheta est,  
 de

de miraculis aliorum prophetarum eodem modo sentire conuenit.

SCHOL. Iuvat autem addere 2, exemplum Iosua Ios. X, 12. 13. *Quomodo*  
 14. quia id, licet evidentissimum, agnoscere detrectavit Dn, Op. *Iosua & pro-*  
 ponens. Postquam enim scriptor facer ad mandatum Iosuæ: *phete?*  
*Sol in Gibeone subsistat, & luna in connalle Aialonis!* solem &  
 lunam, quamlibet in loco, in quo cernebatur, sterile narrauerat,  
 ne forte tam stupendum effectum meritis Iosuæ verbis tribuendum  
 esse, lector sibi persuaderet, addit: *nec erat dies similis diei illi*  
*ante eum vel post eum רְשָׁמָע וְחַדֵּחַ בְּקֹל אֱלֹהִים* ad audire Deum  
 vocem viri; non a meritis Iosuæ verbis, nec a mera voluntate eius,  
 sed ab operatione diuina euentum inauditum pendisse, vel quod  
 idem est, Deum ad voluntatem & praeceptum Iosuæ cursum so-  
 li & lunæ cohibuisse, indicaturus, & dum ipse Iosua hoc factum  
 descripsit, nec ipse sibi, sed Deo huncce effectum tribuit. Et sa-  
 ne ni sensu carent verba Dn. Opponentis anim. 10. pag. 66:  
*Quamvis verba Iosuae in se, hoc est, virtute quadam naturali effectum*  
*tam admirandum producere non potuerint, potuerunt tamen virtute*  
*divina, & tanquam potentia diuine vel efficacissima Dei voluntatis*  
*instrumentum, fateor, me alium capere non posse, quam quod*  
 ipse Deus, volente & quietem mandante Iosua, miraculosa fide  
 instructo, eundem effectum produxerit. Quod clarius ipse Dn.  
 Opponens dicit pag. 65. *Deo vocem Iosuae exaudiente miraculum*  
 solis quiescentis factum esse, fassus. Et ne de sequentis etatis pro-  
 pheticis aliiter putes sentiendum esse, vincum tantum exemplum  
 allegabo. 2. Reg. 11, 19-22. Elisa per salem iniectum fontem  
 amarum efficiebat dulcem; at ipse hunc effectum tribuebat ope-  
 rationi diuina: *Sic ait, inquiens, Iehoua: ( Ego ) fano aquam*  
*hanc, ut non sit inde deinceps mors aut aboritus.* Conferatur etiam  
 1. Reg. XVII, 21, 22. Quæ exempla idem confirmant, quod  
 de modo miraculorum Moses paulo ante obseruauit,

### §. 59.

3. Miraculorum, quæ S. Scriptura apostolis tribuit, non est ratio  
 dissimilis. S. Scriptura, *miracula apostolorum parasse* Act. VI. 8. *Quomodo*  
 Joh. XIV. 12, & per manum eorum Act. V. 12, XIX. II. & per  
 eos eadem facta esse, docet Act. II. 43. Sed inde nondum con-  
 stat,

stat, quomodo per apostolos, vel ab illis producta sint miracula? E contrario ex Marc. XVI. 17. 18. 20. id eidenter potest concipi. Ibi enim Christus potestatem miracula patrandi apostolis concedebat, dicens: *Signa autem eos, qui crediderint (fide miraculosa), hæc consequentur: per nomen meum demonia eiciant; linguis loquentur nouis; serpentes tollent; & si quid lethale biberint, nequaquam nocbit eis; agratis manus imponent, & bene habebunt.* Euangelista autem docet, quomodo euensis promissioni responderit? inquiens: *Ipsi vero (apostoli) exentes predicabant ubique, τὰ καριστὶ συνεγένετο, καὶ τὸ λόγον βεβαιῶν διὰ Ἰωάννου ἐπανολεύθηκον οὐκέτι.* In quibus quidem verbis tria Marcus adserit 1. apostolos prædicasse euangelium, 2. dominum cum ipsis operatum esse, 3. dominum verbum apostolorum miraculis, prædicationem comitantibus, confirmasse. Ex quibus, cum antecedente promissione collatis, constat, ita facta esse ab apostolis miracula, ut ipsis, miracula producturi, operationem externam, e. g. manus ægrotis impnendo, vel exitum e homine diabolo præcipiendo, præstiterint, vel generalius loquendo, miraculum fieri voluerint, Deus autem miraculosum effectum, volentibus illis, præstiterit. Si enim Dominus per miracula subsequentia λόγον prædicatum confirmauit, Dominus etiam eadem miracula produxit. Nam non potuisset per illa verbum apostolorum confirmare, nisi produxisset. Et quamvis Dn. Opponens nondum probatum dederit, pag. 67. quod vox συνεγένετο non ad prædicationem verbi solam, sed ad miraculorum productionem etiam referenda sit, siquidem a sensu possibiliitate ad actualitatem consequentia non valet, tamen, etiam illud concedatur, nil inde sequitur, superiori explicationi aduersum. An enim negauit, in miraculis producendis apostolos operatos esse? absit! Adsero & apostolum & Deum in miraculo producendo esse operatum, de eo tantum disputans, quoque illud Deo, & quoque homini tribuen-

tribuendum sit? quæ plane alia est quæstio. Quamobrem Dei & apostoli coniunctam operationem in miraculis statuenti, neutiquam potest, quippe quæ coniunctam potius indicat operationem, vox: *συνεγένετος* opposi, nisi forte elenchi committere velis ignorationem. Scilicet apostolus, ordini præscripto morem gerens, actum externum vel alium præstitit, ad miraculum producendum; Deus autem, posita conditione dèbita, miraculum produxit, dum clarissime Marcus, Dominum confirmasse verbum miraculis sequentibus, testatur cap. XVI, 20. E contrario infirma Dn. Opponentis exceptio est pag. 68:

*Si, que ab apostolis facta sunt, miracula Deo auctori tribuenda sunt l. c. ita, vt iuxta S. Scripturam dicendum sit, Deum eie-  
cisse demonia & sanasse agrotos, quoties id ab apostolis factum  
legitur: iuxta S. Scripturam etiam pronunciandum est, Deum  
locutum esse linguis nouis, Deum serpentes sustulisse, quoties id  
ab apostolis factum legitur. Nam hæc omnia uno eodemque or-  
dine & modo Christus exprimit.*

Etenim dum sine dubio subsumit:

*Sed falsum est posterius. Ergo etiam prius,*

Diui Marci se anteponit auctoritati, eique contradicit. Hic enim, Dominum verba apostolorum miraculis sequentibus confir-  
masset, & quod inde sequitur, miracula, per apostolos facta, a Deo  
facta esse, testatur c. XVI, 20, quod Dn. Opponus negat. Quod autem ad rem attinet, Deum serpentes abstulisse, an, veritate  
salua, negabis? An morsum viperæ, Pauli manui adharentis,  
quem quisquis aderat lethiferum credebat esse, propter solam  
rejectionem Pauli innoxium fuisse Act. XXIX, 3, seqq. putas?  
Annon operatione diuina, ad sanitatem Pauli & vitam conser-  
uandam, opus erat? Cur igitur falsum putas, quod Deus sustu-  
lerit serpentem, vel, vt rectius dicam, eius effectum nocuum?  
Deinde vt de linguis peregrinis dicam, annon Deus & adpro-  
priatiue Spiritus S. loquelam peregrinam in apostolis excitauit?

H 3

An-

Annon ex historia apostolica idem clarissime constat? Act. II, 2. seqq. Quis igitur, ad loquelam peregrinam in apostolis & Spiritum S. & apostolos concurrens, hos verba pronunciando, illum ideas rerum sub verbis peregrinis in mente eorum excitando, cum ratione dubitabit? Falsitate igitur consequentis negata, non potest ad falsitatem antecedentis amplius concludi.

*Confirmatio  
distorum  
überior?*

*SCHOL.* Vt, recte me promissionem Christicum complemen-  
to intelligere, nec alium, quam qui inest, sensum elicere, oppo-  
do constet, excitabo exemplum singulare Petri Act. III, 7. 12.  
16. Cum enim, Petro adprehendente & erigente claudum, hic  
esset sanatus, populusque miraretur factum, Petrus, *λέγε διάβολος ἡ λορδία αὐτῷ* (puta Christi, quem Iudei necauerant, Deus autem  
e morte resuscitauerat v. 15.) *καὶ τῇ πίστει τῷ ὄντες αὐτὸς hunc*  
*(claudum) roboranir,* addens: *καὶ ἡ πίστις ἡ δὲ αὐτῷ ἔδειξεν ἀντὶ τῶν ἀσ-  
ταγίων τεθύνει coram vobis omnibus.* In quibus verbis τὰ θεατὰ Christi,  
quod claudum roborassem dicitur, aut merum nominis Christi  
sonum, aut ipsum Christum, cuius nomine Petrus claudum surge-  
re & ambulare iusserset v. 6. denotat; vti alias stylo S. Scripturæ  
nomēn Dei interdum ipsum Deum denotare solet Deut. VI. 13.  
Sed prius ab omni ratione sana alienum est. Quoniam igitur  
posterioris debet concedi, ipse Petrus sanationem claudi non sibi,  
sed Christo tribuit, fide tamen miraculosa ex parte Petri, qua,  
voluntatem suam Christum perfecturum esse, certissime credide-  
rat, non exclusa, sed inclusa; quod per verba posteriora aposto-  
lus significauit. Ex quibus omnibus constat, eundem miracu-  
lorum, ab apostolis editorum, modum esse, qui fuerat Mosis at-  
que prophetarum,

§. 60.

*Quo sensu  
autōr di-  
xerit, quod  
Deus prefi-  
terit mira-  
cula ad vo-  
luntatem*

Dum igitur ipse Dn. Opponens, facultatem miracula patran-  
di prophetis apostolisque non subiective inhæsisse, concedit  
(\$, 57. Sch.), exempla autem V. & N. T. ipsa S. Scriptura præ-  
lucente, ita per prophetas & apostolos facta esse miracula, vt,  
viris diuinis operationem externam, voluntati diuinæ confor-  
mem,

mem, miraculi præstanti causa perficientibus, adeoque effe- tbaumatura  
ctum miraculosum adpetentibus, ipse Deus miraculum pra- gorum  
sticerit, ostendunt ( $\S\text{. }58, 59.$ ), potest inde intelligi, cur Theol.

Reu. §. 925. Sch. scripsérim: attendas, queso, non aliter vim  
miracula patrandi a Deo cum hominibus communicatam fuisse,  
quam ita, ut ad voluntatem hominis ipse Deus miraculum presta-  
ret. Et §. 660. Sch. Si queras autem, quo pacto facultas mi-  
racula patrandi, soli Deo propria, cum hominibus communicari  
potuerit, in superioribus iam est ostensum, ipsum potius Deum ad  
voluntatem hominis miraculum produxisse. Eodemque modo sa-  
cra nos Scriptura & exemplis & testimoniosis docet. A Christo  
enim concessa apostolis miracula patrandi facultate Marc. XVI.  
17. 18. clarissime euangelista, Deum eadem, ad nutum scilicet a  
postolorum, & ad confirmandam doctrinam eorum, produxit, addit v. 20. Similiter dum ad iussum Iosue sol & luna stetisse,  
narrantur Jos. X. 12, verba Iosue in se non potuisse tam mi-  
randum effectum producere, vel ignorans perspicit. Unde non  
aliter dici potest, quam quod ipse Deus ad voluntatem Iosue il-  
lus effectus auctor fuerit. Nam i. neque, dum voluntatis men-  
tio fit, sola voluntas interna, sed coniuncta & cum opera-  
tione externa, a Deo ordinata, vel diuinæ voluntati conuenienti,  
& cum fide, in promissione Dei speciali fundata h. e.  
miraculosa, intelligitur, ut ex ante dictis constat ( $\S\text{. }55.$ ); 2. ne-  
que propheta apostoliue a productione miraculorum exclu-  
duntur, aut illos causas eorum efficientes fuisse negatur, sed  
3. dum S. Scriptura miracula, a diuis viris præstata, & Deo &  
his tribuit, cuiilibet quod præstitum, ipsa S. Scripturæ littera ita  
præente ( $\S\text{. }58, 59.$ ), adsignatur.

### §. 61.

Dum ab effectu ad causam C. V. a modo, secundum quem *Quomodo*  
miracula a prophetis & apostolis facta sunt, ad modum com- *facultas mi-*  
municationis facultatis miracula patrandi possumus concludere, *racula pa-*

*An trandi cum*

*piris than-  
maturgis  
fuerit com-  
municata?*

An ita concipis, quod Deus, cum pro confirmanda veritate doctrinarum, quas per prophetas & apostolos hominibus adnuntiatus erat, miraculis opus esse, persiceret, dederit homini promissum, fore, ut si, vel quoties ille pro confirmanda doctrina & gloria Dei illustranda miraculum produci vellet, promisoque diuino de productione eius firmiter credens, operatione externa a Deo præcepta vteretur, ipse miraculum, ab homine desideratum sit producturus? Si non, & negas tamen, facultatem miracula patrandi subiectiue prophetis & apostolis inhaessisse, dicas, quæso, distincte & dilucide, non per terminum æque obscurum, quomodo res aliter concipienda sit? Candidus enim & sincerus eruditus de rebus difficilioribus sententiam, argumentis munitam, significat, non autem obtrusis inique erroribus, formatisque consequentiis illegitimis, suspectos reddere conatur, qui nil tale meruerunt.

### §. 62.

*Causa effi-  
ciens quid?*

Possent hæc pro explicatione sufficere. Nam valde absconam eorum sententiam esse puto, qui nihil in Theologicis verum rectumque esse credunt, nisi quod terminis metaphysicis expressum est, etiamsi, eorum inuolucro veritates Theologicas in eruditorum scholis utiliter proponi posse, non negem. At ne qua ex parte lectori desim, illis eriam doctrinam proponam, a definitionibus initium facturus. Quidquid per actionem suam rationem existentia alterius in se continet, dicitur illius *causa efficiens* (Theol, Reu. §. 150.).

### §. 63.

*An Deus &  
ficiens mira-  
culi, ab hoc  
editi?*

Pro superiore explicatione modi, quo miracula a viris di-  
tbaumatur, unius præstata sunt, rationem existentia miraculi continet &  
gus causa ref. homo & Deus; ille quatenus miraculum fieri vult, eandem  
voluntatem operatione quadam externa significat, & hac se ra-  
tione habens, fide, promissione diuina certissime nixa, Deum  
ad

ad producendum miraculum desideratum mouet; hic, quatenus intuitu promissionis suæ perficit, quod homo pro gloria diuina volebat fieri. Pro superiori igitur explicazione causa efficiens miraculi est & Deus & propheta vel apostolus (§. 62.).

§. 64.

*Causa efficiens principalis* dicitur, quæ rationem existentiaë *Causa efficiens* alterius in se continet per actionem suam, a vi ipsi interna (& cens principi arbitrio proprio) pendentem. Theol. Reu. §. 150. *palis quid?*

§. 65.

Dum Deus miraculum, quod ad thaumaturgi voluntatem *Deus est causa* præstare, producit, actus hic productionis a vi, Deo interna, (& *causa efficiens* arbitrio eius proprio) pendet. Nam Deus producit miraculum & per omnipotentiam suam eamque absolutam (Th. Reu. §. 663.), quæ est attributum, ex essentia Dei fluens (Th. Reu. §. 771.), adeoque ipsi aliquid interni, & pro arbitrio proprio, quia, an homini, & cui facultatem thaumaturgicam concedere voluerit? ex arbitrio diuino pendet. Miraculorum igitur, ab apostolis & prophetis editorum, Deus est causa efficiens principalis (§. 64.).

SCHOL. Fallér, si tibi in mentem veniat, Deum, dum pro *Solutio du-* nostra sententia miraculum ad voluntatem *thaumaturgi* præstari, *bii.* esse eiusdem causam efficientem minus principalem (Th. Reu. §. 150.). Nam præstari quidem ad thaumaturgi voluntatem, sed non ita, vt hanc pro norma agendi haberet, quod ad causam mirabilis principalem requiritur.

§. 66.

*Causa efficiens instrumentalis* dicitur, quæ agit vi aliena Th., *Causa efficiens instru-* Reu. §. 150. *mentalnis* *quid?*

§. 67.

Prophetæ & apostoli sunt quidem causa efficiens miraculorum, ab ipsis editorum (§. 63.). At dum non vi propria, sed aliena, pura Dei, persecerunt, siquidem, volentibus istis & voluntatis, *An prophetæ* *& apostoli* *talis in mi-* *ipfis editis?*

luntatem actu externo manifestantibus, Deus præsttit (§ 58.59.) per omnipotentiam suam (Theol. Reu. §. 663.), sunt hoc respectu miraculorum, ab ipsis præstitorum, causa efficiens instrumentalis (§. 66.).

§. 68.

*Causam morali* in Tract. de Imput. §. 195. & Theol. Reu. §. 1220. esse dixi, quæ rationem facti, quod alter committit (per influxum physicum), continet in se per motiuorum suggestionem. A quo non abhorrent licet paulo latius dicta verba B. Sleuogi in diss. de causa morali §. 5. Dispp. Acadd. p. 698: *Causa moralis illa solet dici, quæ, et si quatenus talis, non influit realiter (i.e. physice) in effectum, ita tamen se gerit, ac si realiter influat. Vnde effectus, qui sequitur, ipse non minus imputatur, ac si realiter influxisset. Eiusmodi causa est, qui consultit, qui mandat, aut bortatur, &c.* Nam per consilium, per mandatum, per adhortationem motiuia agendi alteri suggesturuntur. Idem auctor Doctissimus post datam 1. c. §. 13. definitionem de causa morali principali, causam moralem instrumentalem definit ita §. 14: *Causa moralis instrumentalis est, quæ in se non habet, quo causam physicam moueat, dum tanen mouet, mouet accepto valore a causa principali; & inter alia §. 80. ita scribit: Tandem ea quoque causa moralis alicuius effectus est, quæ eum ab agente physico impetrat. Vnde potest dici imperatoria. Imperat autem, variis modis, interdum petendo, interdum aliquid faciendo, nunc ex dignitate sua, nunc ex promissione; id quod §. 81. hoc declarat exemplo: Pater promittit filio nouam vestem, sed ea conditione; si publice dispuet. Filius acceptat conditionem, eamque implet. At hoc dum facit, simul moraliter Patrem monet, ut vestem ab eo impetrat. Quia impletio conditionis nequaquam est tantummodo causa sine qua non, uti prima fronte videri queat: sed est vera causa, eaque in genere morum, quod inde cognoscit potest, quia non solum mouet patrem, sed obligatum quoque reddit præstandi id,*

*id, quod sub conditione, quam ipse impleuit, promiserat, quod causa sine qua non haud ita facit. Mouet autem patrem & obligat non ex se & sua natura, neque enim omnis qui disputat, nouam propterera vestem accipit: sed mouet vi ac virtute promissionis, atque ita moraliter.*

## §. 69.

Ex his, apostolos miraculorum, ab ipsis editorum, causam *An prophetæ & apostoli causa moralis instrumentalis miraculorum a se editorum?* moralem instrumentalem fuisse, sequitur. Quod vt rite per spiciamus, notamus 1. prophetas & apostolos, miraculum profine legitimo & debito ordine produci volendo, & actum externum diuinæ voluntati conformem perficiendo, Deum mouisse, ad miraculum producendum, vt causam eius efficientem principalem (§. 65.), quæ vt physica h. l. consideranda est. Etenim quid Deum e. g. mouebat, ad claudum Act. III, 6. 7. eo momento temporis sanandum, quo Petrus ambulare eum iubebat? Non potes aliud quid, quam voluntatem ipsius Petri, verbis & facto profine legitimo & in debito ordine declaratum, adlegare. 2. mouisse autem non valore proprio. Etenim si solam thaumaturgi voluntatem & actum externum sufficere, putes, ad Deum, vt producat miraculum, mouendum, cur non & omnibus aliis hominibus idem accidit? 3. sed accepto, a causa principali. Namque non per dignitatem thaumaturgorum Deus motus est, ad miraculum, volentibus ipsis, producendum, sed intuitu promissionis, Mosi prophetisque a Deo, a Christo autem apostolis datae, & fide miraculosa a thaumaturgo acceptatae, quam pro veritate Deus non poterat non seruare (Theol. Reu. §. 723.). Sed Deus, & Christus, vt Deus, erant miraculorum causa efficiens principalis (§. 65.). Vnde sequitur, Deum ad miraculum producendum motum esse a thaumaturgis, accepto a causa principali valore. Quoniam igitur causa moralis instrumentalis est, quæ in se non habet, quo causam physicam moueat, dum tamen mouet, mouet accepto

cepto valore a causa principali (§. 68.); prophetæ & apostoli sunt miraculorum, ab ipsis editorum, causa moralis instrumen-talis.

*Consensus B.  
Sleuogei,*

SCHOL. Hoc ipsum clarissimis verbis docet Sleuogt in Dis-s. cit. de causa morali §. 94. scribens: *Vnico saltem exemplo vsum ostendemus, quem doctrina habet de cause moralis specie, quo cau-sat effectum per modum impetracionis: iſtud legimus Exod. XIV. 26. vbi Dominus ad Moſen ait: tu eleua manum tuam & extende manum tuam super mare & scinde illud. Ad quem locum Flacius p. 2. clau. traſt. 6. hoc notat: Deus iubet Moſen mare rubrum in duas partes scindere, quum ille nihil plus posset, quam sola virga aquam verberare. Deus igitur impropter illud ingens miraculum diuīſt maris adſcribit illi pene ludicro operi Moſis; quod non ſcrip-ſiſſet, ſi doctrinam, quam hactenus tradidimus, habuiffet cognitam. Vere enim Moſes mare a ſe percuſſum diuīſit. At hunc effectum non cauſauit physice, percuſſione illa baculo facta, quomodo enim hoc fiaſt? ſed moraliter. Dum nempe Deo obtemperauit, & quod fa-cere iuſſus erat, fecit, nempe virga percuſſit mare; hoc ipſo mouit Deum motione morali & ab ipſo impetravit, ut effectum hunc pro-duceret, vierque ergo eum cauſauit. Moſes cauſalitate morali, Deus physica. Quod latius probat §. 95: *Quod, ne nos conſtaret, ſcriptura v. 16. diuīſionem maris primū attribuit Moſis, quum in-quit: extende manum super mare & scinde mare, deinde adſcribit etiam Deo, v. 21. quum inquit: & extendit Moſe manum ſu-per mare, & recedere fecit Iebouah mare. Moſes igitur cauſa diuīſionis illius fuit moralis, quatenus Deum ad faciendam illam diuīſionem mouit percutiendo mare ſecundum mandatum eius, que moṭio non fuit physica, ſed moralis, nec facta virtute vel vi per-cuſſionis, ſed vi mandati. Deus autem diuīſionis illius cauſa fuit physica, quum eam fecit ad percuſſionem, a Moſe ſecundum man-datum factam. Ex quibus verbis, cum iis, qua supra de hac re licet sine terminis metaphysicis diſputauimus (§. 58. 59.), collatis, ἀρχαιοθεαῖς adparet, modum, quo miracula a prophetis apoſtolisque facta ſunt, eodem modo Virum Doctiflimum & acutiflimum explicare, quo nos explicauimus. Et ne per præcipitantiam hæc forte excidiſſe dicas, alio etiam loco in Disput. 3. de creat. §. 20. pag. 465. ſcribit: *Quod adſerit (auctor, contra quem dispu-tat)***

tat) Mosen fuisse instrumentum Physicum Dei, quando ex baculo fecit serpentem, & ex petra elicuit aquam aut prophetas & apostolos, quando moriuit resuscitarunt; illud, si non falsum, profecto admodum dubium est. Et, si negetur, non videmus, unde queat probari. Neque enim veri speciem habet, Prophetas & apostolos quando fecerunt miracula, vera actione & vero influxu attigitur ipsum effectum supernaturalem, sicuti ratio instrumenti Physici requirit: sed potius ita factum videtur, quod, ipsis aliquid prius operantibus, Deus effectum supernaturalem produxerit, cuius proinde ipsi instrumenta fuerint, non alia ratione, quam in genere morum.

## §. 70.

His præmissis, nihil difficultatis ad soluenda Dn. Opponentis, non sine acerbitate sepe proposita, dubia supereft. Nam explications dum anim, 7. p. 58. hoc loco hoc queri dicit: *num Deus miracula ad voluntatem hominum ita patraverit, ut hominibus efficiatur?* Etus vere proprieque tribui nequeat, nec ex parte hominum preter voluntatem aliud quidpiam accesserit? & id S. Scripturæ consenteantem esse, negat, aërem disputando ferit. Neutrum ex his duobus ego vñquam adserui. Ex data autem explicatione modi, quo a prophetis & apostolis miracula facta dixi (§. 58. 59.), si id extorquet, indolem causarum se nondum perspectam habere, prodit. Effectus enim, quisquis sit, non causa physicæ tantum, sed morali etiam, si adhuc talis, tribuendus est, quia ut illa physicum, sic hæc moralem influxum præstat. Iam vero non sequitur:

*Deus miracula ad voluntatem hominum patravit. E. effectus vere proprieque homini nequit tribui;*

Sed hoc sequitur:

*Ergo ille Deo ut physica vel ut principalis, homini ut morali causa instrumentalis est tribuendus,*

quod adseruimus. Pariter nec dixi, ex parte hominum præter voluntatem non aliud quidpiam accessisse. Voluntas enim

operationem externam, diuinæ voluntati conformem & fidem promissioni diuinæ in nixam non excludit, sed potius includit (§. 60.).

## §. 71.

*Solutio obie-* Anim. 8. p. 58. Dn. Opponens adserit, 1. homines ipsos mira-  
*ctionum Dn.* cula fecisse. Sed hoc non negauit; quæsiui, quomodo fecerint? At  
*Opponentis* res & rei modus plane diuersa sunt nostro concipiendi modo.  
*contra no-* 2. S. Scriptura teste, per apostolos & alios viros diuinos miracula  
*stram expli-* facta esse. At nec hoc negauit. Nego, ex ista locutione sequi,  
*cationem* quod falsus sit modus, quo apostolos miracula patrasse docui.  
*modi, quo* Supereft quæftio prior: quomodo per viros diuinos miracula  
*thaumarur-* facta sint? 3. Apostolis datum vere fuiffe vim miracula patrandi,  
*gi miracula* quam Euangelista vocet ὅντας & ἐξοικεῖαν Luc. IX. 1. coll. Matth.  
*fecerunt.* X. 1. Marc. III. 15, Luc. X. 19. Nec de hoc ego dubitauit. At  
non de hoc, sed de modo communicationis quæritur, qui ex  
h. l. non quidem patescit, attamen a posteriori, ab effectu ad  
causam concludendo, colligi potest. Quamobrem ex modo,  
quo thaumaturgi miracula patrarent, potius ad modum com-  
municationis virtutis thaumaturgicæ concludendum esse, arbi-  
tratus sum (§. 61.). Si autem litteram h. l. vrget Dn. Oppo-  
nens, cur non exinde & proprietate verborum concludit, ita  
apostolis datum fuisse virtutem θαυματουργικην, vt subiectiue il-  
lis inhæserit? Nam si in aliis locis cognitionem Eph. I. 18. &  
cor nouum Deus homini dare dicitur Ps. LI. 12, dat ita, vt  
subiectiue inhæreat. At virtutem thaumaturgicam subiectiue  
inhæsse diuinis viris, Dn. Opponens negat (§. 57. Sch.). 4. Pau-  
lum 1. Cor. XII. 6. seqq. virtutem miracula patrandi, donum lin-  
guarum, & interpretationis, & χαρισματα iαπατων coniungere,  
eaque primis ecclesia doctoribus a Deo donata esse, testari. Quid  
inde? Concludit ex hoc effato: *Sicut Deus donum linguarum*  
& interpretationis ita impertinet doctoribus, *vt ipse loquerentur*  
& in-

Et interpretarentur, ita quoque virtus miracula patrandi cum doctribus quibusdam tanquam xápiσμα communicata, nos permouet, ut ipsos vere proprieque miracula præstissime existimemus. Quis hoc negavit? De modo est quæstio, quomodo vere proprieque præstiterint? At dicit Apostolus: Deus operatur τὰ πάντα ἐν πᾶσι. Ergo doctores ipsi non sunt penitus ab hoc miraculorum negotio excludendi. Sed quis exclusit? Nemo nisi phantasia Dn. Opponentis, aduersarium sibi fingens, vbi nemo est. §. Christum operatum esse per Paulum in obedientiam gentium λόγῳ i. e. in prædicationibus, καὶ ἔργῳ, b. e. in miraculis Rom. XV. 18. Quid tum? Concludit inde, ipsum Paulum miracula edidisse, non autem Christum eadem ad eius patrassè nutum. Paulum edidisse miracula, qua edidit, non nego. Nego, recte concludi inde, quod Christus non præstiterit ad Pauli nutum vel voluntatem. Nam si Deus operatur τὰ πάντα ἐν πᾶσι i. Cor. XII. 6. etiam Christus τὰ πάντα ἐν πᾶσι operatur. Et si hoc, Christus id etiam, quod Paulus miraculosi præstitit, operatus fuit. Deinde sine dubio Paulus non alio modo miracula præsttit, quam Petrus. Vterque enim erat apostolus Domini. At Petrus miraculum, quod præstiterat, clarissimis verbis tribuit Christo (§.59. Sch.). Ceterum de sententia Balduini hic non dispuo, sed de veritate. 6. Apostolos, quibus a Christo data erat potestas διαμαρτυρεῖν, non potuisse, etiam si voluerint, miraculum patrare Matth. XVII. 16. propter incredulitatem suam Matth. XVII. 19; quamobrem 7. in eo, qui virtute διαμαρτυρεῖν præditus erat, præter voluntatem fides etiam fuerit requisita, patra miraculosa. At neque hoc ego negavi, neque opositum eius ex mea explicatione modi, quo miracula ab apostolis facta existimo, sequitur hoc:

Per Apostolos miracula ita sunt facta, ut apostolo miraculum volente & actum externum persiciente, Deus ipse præstiterit effectum miraculosum.

E. in

*E. in apostolis non requisita fuit fides miraculosa, in promissione diuina de miraculo edendo certo adquiescens?*

Quin potius necessitas fidei ex superioribus principiis sequitur. Nam Deus miraculum præstat, volente apostolo, propter præmissionem datam (§. 69.). Sed ad promissum præstandum promittens non obligatur, nisi ubi alter acceptet, per iuris naturalis principia. Quoniam igitur acceptatio illa in hoc casu fit per ipsam fidem miraculosam, quippe qua homo, promissione diuina nixus, certissime credit, Deum iam, volente se, miraculum producturum esse, opus est, ut miraculosa fide, puta actiua, instructus sit, qui miraculum per se a Deo præstari cupit. 8. *Deum miracula fecisse ad voluntatem hominum, quibuscum virtus miracula patrandi communicata esse dici nequeat,* quod constet ex exemplo mulieris Cananæ Matth. XV. 28. & cæci Luc. XVIII. 41, 42. Sed quid inde? An ego docui, omnem, ad cuius voluntatem Deus miraculum præstitit, facultate *patrægymnæ* instructum fuisse? Aut an illud ex mea explicatione sequitur? Dicis:

*Pro sententia Carponii omnis homo, facultate miracula patrandi prædictus, est talis, ad cuius voluntatem Deus miraculum præstitit.*

*E. omnis homo, ad cuius voluntatem Deus miraculum præstitit, est talis, qui facultate miracula patrandi gaudet.*

Id quod a veritate per loca citata alienum est. Prodis ignorantiam Logicam. An omnis propositio vniuersalis simpliciter conuerti potest? Sic etiam recte concludam: *Omnis homo est mortalis, E. omne mortale est homo;* & ex falsitate propositionis posterioris veritatem prioris impugnabo.

### §. 72.

*An nostra explicatio modi quo*  
Falleris igitur, Dn. Clugi, dum modum, quo hominibus nudis vim miracula patrandi communicatam fuisse tradiderim in Theol.

Theol. Reu. §. 925. Sch. a. S. *Scriptura testimoniis alienum esse, obhaumatur-*  
*putas an. 9. pag. 63.* Tantum abest, vt sit ab illa alienus, vt *gim miracula*  
*ipsa S. Scriptura eundem clarissime repetitis vicibus doceat & profiterunt,*  
*inculceret (§. 58. 59.). Tu autem dum ne verbo quidem hanc in-*  
*culpationem vehementissimam recte probasti (§. 70. 71.), eo*  
*grauius peccas, quo es accusando in me iniquior, & quo euin-*  
*dentius ostendis, non veritatem, sed diffamationem Theologiae*  
*meae tibi curæ cordique fuisse. At dum non habes, quod op-*  
*ponas cum ratione, non mihi sed tibi, aduersetur?*

## §. 73.

At aliud ibidem an. 9. p. 63. crimen, si Diis placet, mihi ob- *An illa falsa*  
*iicitur? Quodnam? Cum Dn. Wolffio in explicando modo, quo sit proper*  
*apostoli miracula patrarent, idem sentire dico. Ridiculum! quasi consensum*  
*Ill. Wolffii non posset veritatem dicere! Ne de Sleuoglio, qui*  
*ante seculum iam vixit, & vti mea laude, sic vituperatione*  
*Dn. Opponentis superior est, dicam (§. 69. Sch.), habeo ipsam*  
*S. Scripturam verbis clarissimis praेउntem (§. 58. 59.), in cu-*  
*ius auctoritate infallibili tutus adquiesco. Quamobrem non*  
*opus est, vt de sententia Ill. Wolffii copiose disputem. Interea*  
*moneo ad Ios. X, 14, non tam ineptum esse Dn. Wolffium, vt*  
*Deum in sensu proprio & stricto homini obedire credit, quod*  
*ipsi, ad futurum lectori faciendum, imputat Dn. Opponens anim.*  
*10. p. 64. 65. Nam Theol. Nat. §. 474. inter alia clare scripsit:*  
*Atque adeo patet, S. Scriptura magistra facultatem patrandi mi-*  
*racula non aliter fuisse concessam, quam quatenus Deus ad eorum*  
*natum eadem fecit, voluntatem suam QVASI subiiciens illorum*  
*voluntati. Ne dicam, eandem inculpationem in B. Lutherum*  
*quoque eiusque versionem Biblorum l. c. ruere. Quod ad*  
*me attinet, lubens concedo, vocem ΥΠΩ per exaudire l. c. ver-*  
*tendam esse, sed illud ipsum meam sententiam confirmat (§.*  
*58. Sch.), sc. quod Iosua solis quiescentis causa moralis instrumen-*

K

tal,  
DFG

talis, Deus principalis fuerit (§. 65. 69.). Et quamvis Dn. Opponens excipiat: *Sicut non sequitur:*

*Christus Lazaro praecepit, ut viuus ex tumulo prodiret, Deo ipsum exaudiente Ioh. XI, 41.*

*E. Lazarus non a Christo excitatus est, sed Deus illum ad voluntatem Christi excitauit,*

*Sic etiam non sequitur:*

*Iosua soli praecepit, ut staret, Deo ipsum exaudiente. Ergo Iosua non effecit solem stare, sed Deus illum quiescere fecit;* hæc tamen obiecitio ἀπαιδευτικαν tantum ostendit, dum non negamus, effecisse Iosuam, ut sol staret, sed querimus: quomodo illud sit factum? Taceo infinitam discrepantiam, quæ inter Iosuam & Christum intercedit, dum hic essentialiter gaudebat omnipotencia, non ille; vnde ab uno ad alterum neutiquam valet consequentia.

*Monitum de  
loco Ioh. XI,*

41.

*SCHOL.* Circa locum Ioh. XI, 41. seqq. Dn. Opponens etiam in nota \* pag. 65. 66. alium quendam scriptorum meorum locum, quem vero, etiam si alias in locis excitandis studiosissimus sit, non adlegavit, vellicat. Cum igitur utrum recte & sincere, an contra meam mentem in scenam productus sit, relegere non potuerim, moneo tantum, preces Christi ex gratiarum actione eius me colligere, quia hæc sunt relata, quorum uno posito, alterum eriam ponitur. Ita etiam B. Stockium locum illum explicare video, dum ad h. l. ita commentatur: *Quod me exaudiisti, cum apud me in corde pro resurrectione Lazari ad te (Pater) mitterem preces.* Agebat autem Christus Deo gratias ante excitationem Lazarus, quia exauditionem precum tam certo praesciebat, ac si iam facta fuisset. Preces has autem & gratiarum actionem ad Patrem Christus mittebat, ut populus ipsum a Deo esse cerneret v. 42. Reliqua in cassum disputantur, quia rationem naturarum & communionem idiomatum in Christo nunquam ego negavi.

*Monitum  
aliud.*

§. 74. *Quod ad locum alterum, a Wolffio pro sua sententia excitatum, Marc. XVI, 17. seqq. attinet, quidquid de illo ad rem ipsam*

ipsum faciens Dn. Opponens disputat an. II. p. 66, id omne supra iam est explosum (§. 59.), vt adeo actum noua respon- sione agere, superuacuum sit.

## §. 75.

Anim. 12. p. 68. quasi re bene gesta, Dn. Opponens, vt egre-  
gium edat specimen Theologicum, ad me conuiitandum pro-  
greditur. Ut ipsi enim videtur, modo intempestiuus in me est.  
*Responso ad interpretatio-*  
*me est.*  
Philosophie Wolffianæ amor, quo corruptus eadem cum Dn. Wolffio  
(pariter ac si Sleuogtius non idem docuit §. 69. Sch.) chorda  
oberrem; modo cum Dn. Wolffio, sacras litteras per transennam  
adspiciente, errare malui, quam eum in tradendis Theologia reue-  
late institutionibus non sequi. Andabaturum more hoc adgredi  
est. An non ostendi, ipsum S. Scripturam verbis clarissimis eun-  
dem modum miraculorum Mosaicorum, propheticorum, &  
apostolicorum insinuare, quem ego docui (§. 58. 59.)? Non igit  
tum Philosophia Wolffianæ amor intempestiuus, sed reverentia,  
quam verbo diuino debeo, in hanc me sententiam adduxit.  
Annon licet cum S. Scriptura sentire? An ex sapientia Viri  
Wittenbergensis fonte forsan interpretatio S. Scripturæ hau-  
rienda est? Non tali auxilio, nec interpretibus istis tempus eger.  
Nam quādūis non magistros artium, sed Theologos, ad se ipsum  
forsan digitum intendens, audiendos putet Dn. Opponens I. c.  
non tamen forsan inter Theologum officio & eruditione talem  
satis distinguere nouit, quod eo magis dolendum est, quo est  
certius, non omnes Theologiae Doctores Theologorum nomi-  
ne dignos esse.

## §. 76.

Negatur porro, quod anim. 13. pag. 69. Dn. Opponens pro *An per me-*  
*explorato habet, satis ex iis, que hactenus dixit, intelligi, quod um expli-*  
*modus ille, quo virtus miracula edendi olim cum hominibus com-*  
*municata fuit, ita a me explicetur, ut re ipsa communicatam esse* dum nege-  
*mem. Quæ enim in superribus demonstrata dedi, contra-*tbaumatur.**

gi miracula rium satis manifeste loquuntur. Quin potius ex iis, quæ Dn. præfiterint? Opponens dixit, constat & intelligitur, quod rem & rei modum ubique confundat, quod magno argumentorum adparatu nil probet amplius, nisi quod prophetæ & apostoli miracula ediderint, de quo numquam ego dubitavi, quod nesciū denique rem explicandi modum destruc̄tum esse, sibi frustra p̄sigadeat, & aliis nitatur persuadere. Quodsi vero nihil minus meum explicandi modum pro tali, quo res ipsa negetur, habet, idem crimen Mosi etiam obiciendum est, quia non alium allegau modum, quam qui in hoc prophetarum principe *narratō p̄ntō* legitur (§. 58). Reliqua *nihil* animaduersio[n]is mihi non aduersantur (§. 55.).

## §. 77.

*Explicatio loci ex Wolfi Theol. Nat. P. I. pag. 443, directa sunt, ut adeo discussio[n]e eorum supersedere possim, mea tantum defensuris.* At quia æquum esse arbitror, ut verbis alterius bonus potius, quam diu fieri potest, quam malus sensus tribuatur, paucis tantum, quomodo illa intelligenda esse putem, ostendim, ut cauillationibus malevolis ini quisque obex ponatur. Ita vero se verba Wolfii habent: *Quoniam miracula ad nutum eorum secuta, ad quorum nutum (i.e. voluntatem; quæ autem locutio non excludit operationem quandam externam, mandato diu no conuenientem, vti statim seqq. docent verba; neque fidem in promissionem diuinam, sed includit. Nam desiderante fide miraculosa, non sequebatur miraculum §. 55. n. 7.* At Wolfius de iis hominibus tantum loquitur, ad quorū in nutum Deus fecerit miraculum) Deus eadem fecit; *et* vero volitionis (ita se habens, vt iam explicatum) siue veris, siue alio actu externo, veluti imponendo manum agrotis, significatus fuit; ideo adstantibus ip[s]inet (vt causa efficiens principialis physica) miracula patrassē visi sunt, vt ea de causa potentiam miraculosam ab

*ab apostolis vendi posse existimauerit Simon Magus* (putans ab arbitrio apostolorum eam pendere) *A&T. VIII. 18. seqq.* Quibus notatis, iisque, quae in superioribus demonstrata sunt, in subsidium vocatis, omnes Dn. Opponentis cauillationes per se corruunt & meram ipsius ostendunt *anachoritav.*

## §. 78.

Futilia sunt porro, quæ aduersus receptum Metaphysico-  
rum canonem, quod attributa rerum incommunicabilia sint, ex incommuni-  
doctrina de communicatione idiomatum in Christo opponit Dn. *An canon de  
Opponens anim. 15. pag. 80.* quia nulla inter hæc duo repugnat.  
cabitatate attributo-  
rum repu-  
gnet doctrinæ de Chri-  
tatu?

Opponens anim. 15. pag. 80, quia nulla inter hæc duo repugnat.  
cabitatate attributo-  
rum repu-  
gnet doctrinæ de Chri-  
tatu?

Verissimum enim est quidem, quod humani-  
tati Christi idiomata diuinitatis vere conueniant, at non aliter  
conuenient, nisi communicatiue propter unionem cum λόγῳ. *§. 80.*  
personalem. At canon ille metaphysicus non de unione du-  
orum entium & resultante hinc idiomatum vel attributorum  
communione, sed de rebus in se spectatis loquitur. Quamob-  
rem nec communicatio idiomatum in Christo illi canon, nec  
canon ille communicationi idiomatum in Christo repugnat.  
De nugis igitur, ignorantiae philosophicae testibus, copiose dis-  
putare, inanis labor esset. Denique quod ad animaduersio-  
nis finem pertinet, non negatur, apostolos virtute sibi data &  
propter dationem propria miracula edidisse; sed ut saepe dictum  
de eo queritur, quomodo illis data fuerit? & quomodo per  
datam virtutem miracula praestiterint? Ut igitur in re elenchi  
ignoratio, sic in verbis gloriose fuci ostentatio est.

## §. 79.

Pergo ad animadu-  
16. pag. 83. *Apostolos fuisse miraculorum,* *An Steuogitus  
ab ipsis editorum, causam efficientem, sed instrumentalem, non in modo  
principalem, quod Dn. Opponens dicit, ipse ego in superiori-  
bus demonstrau (§. 67.). At anim. 17. pag. 84. oppido con-  
tra veritatem loquitur Dn. Opponens, dum sententiam Steuogiti  
maturice*

*ame differ- de modo miraculorum, ab apostolis & prophetis editorum, pu-  
tiat?* ta, quod fuerit miraculorum illorum causa moralis instrumen-  
tal is, multam ab opinione mea distare, scribit, eorumque mo-  
rem, qui sine animi candore disputant, imitatus, imputatio-  
nes & peruerstiones suas, ut dogmata mea professa, repetit. Ad  
quæ non respondeo iterum, veritate & sententia meæ & con-  
fensus inter Slevogtum & me satis in superioribus demon-  
strata (§. 58. seqq.).

## §. 80.

*Solutio obie- Interea dum prophetas & apostolos causam moralem in-  
ctionum con- strumentalem miraculorum, per ipsos editorum, fuisse, quod  
tra thesni, cum Slevogto supra adstruximus (§. 69.), non concedit Dn.  
quod apostoli Opponens anim. 17. pag. 85, dubia eius examinanda sunt,  
fuerint mi- Obiicit*

*raculorum I. Si, s. Scriptura teste Act. XIX. II, Deus per manus aposto-  
suorum cau- lorum virtutes edidit, non sunt hi miraculorum causa moralis  
sa moralis instrumentalis. Nam cause mouentis indicium non est illa lo-  
instrumenta- quendī ratio: per manum alterius aliquid facere.*

Respondeo, negando consequentiam. Recte dicitur Deus per manus apostolorum miracula edidisse, quia, apostolo actum externum, supposita fide miraculosa, præstante, sequebatur miraculum, & hinc Deus pro libera dispositione actu illo ex-  
tero, vel opera hominis quasi vrebatur ad miraculum produ-  
cendum. At recte etiam dicitur apostolus causa moralis in-  
strumentalis miraculi, quatenus voluntas & operatio aposto-  
lica Deum non quidem virtute propria, attamen vi promissio-  
nis, quam Christus dederat, & cuius complementum, politis  
requisitis necessariis, ob summam veritatem eius deficere  
non poterat, mouebat, ad effectum miraculosum, voluntati  
apostoli conformem, producendum (§. 69.). Quoniam igitur  
vnum hic alterum non tollit, diuerso respectu habito nulla in  
hoc argumento consequentia est.

2. Apo.

2. Apostoli, per umbram suam Act. V. 15. & sudaria Act. XIX.  
 12. agrotis sanitatem restituente, pro causa eius efficiente in  
 S. Scriptura habentur, et si nil fecerunt, quo Deum ad eden-  
 dum miraculum mouerent.

In meis S. Scripturæ editionibus non lego, quæ Dn. Opponens  
 hoc loco scribit. Nam loco priore legitur tantum, agrotos in  
 lectis per plateas gestos & positos esse, ut venientis Petri vel umbra  
 obumbraret quendam eorum. Facile concedo, agrotos illos, in  
 tanta fidei miraculosa vi allatos, ut vel umbram Petri sibi pro-  
 desse putarent, sanatos esse, at quomodo sanati sint, vtrum Pe-  
 tro de industria illos obumbrante, an umbra Petri tantum in  
 illos, vel inscio Petro, cadente? exinde non constat. Quem-  
 cunque autem casum obtinuisse dicas, nil tamen in eo est, quod  
 explicationi nostræ aduersetur. Fieri enim potuit, ut umbra  
 Petri vel data opera vel casu in agrotos cadente, Petroque vo-  
 luntatem suam vel clare declarante, vel restitutam sanitatem  
 tamen adprobante, intuitu promissionis & fidei miraculosa  
 Deus motus fuerit, ad sanitatem agrotis obumbratis restituendam,  
 & sic restituerit actu. Et, qui quæsio rem aliter explicab-  
 sis? Umbra est priuatio lucis. An lucis priuationem tantæ ef-  
 ficaciam in corpore agroti fuisse putas, ut sanaretur, non acce-  
 dente operatione Dei? Locus alter minori adhuc difficultati  
 subest. Nam Act. XIX, II. 12. clarissime Lucas: Δινάρες τε &  
 τὰς τοχέας faciebat Deus per manus Pauli adeo, ut etiam ad in-  
 firmos deferrentur a corpore eius sudaria, seu semicinctia & disce-  
 derent ab eis morbi, & spiritus improbi ab eis exirent. Vnde  
 patet, easdem sanaciones agrotorum & electiones dæmonum  
 Deo tribui ut causæ efficienti, sed ita, ut ad fidem prædicatio-  
 nibus Paulinis inter mortales conciliandam, medio sudariorum  
 Paulinorum vsus sit. Et cum ipse Dn. Opponens scribat an-  
 13. p. 70. 71: Immo placuit Deo miracula odere per umbram apo-  
 stolorum, vel potius per eorum èmisas quæ solo contactu vestium,  
 quas

quas apostoli gestabant, ut illa vere quidem per apostolos, sed non virtute naturali, seu subiective inherente fieri, adpareret, fateor, me non videre, quomodo res aliter, quam per operationem diuinam, sed pro libera dispositione Dei ad medium hoc externum adstrictam, debeat explicari. Quoniam autem, que Pauli erat, res quædam intercedebat, dia των χειρῶν Παύλος Deus illa miracula fecisse dicitur.

3. *Egidius Strauchius in Consens. repet. p. 416. & Job. Reinhardi in Disputat. cit. causam instrumentalem moralem pro monstro Metaphysico declararunt.*

Non ad vnius vel alterius auctoritatem res reddit. Definitio de causa morali instrumentali (§. 68.) nihil continet impossibilitatis, ob eamque rationem figura monstri a monstrosis tantum fictionibus non recte rem capientium oritur. Causam moralem instrumentalem monstrum sine monstro esse ostendit, & ad obiectiones eorum, qui isthac infamia hanc causæ speciem notare moliti sunt, solidissime respondit Velthemius in Institut. Metaph. pag. 1384. seqq. ubi obiectiunculas in nota propositas simul, eodem exemplo retento, discussas inueniet Dn. Opponens.

4. Redolet hic foetus Scholas Caluinianorum, qui illum ad munierandam opinionem de efficacia verbi & sacramentorum, quam non nisi moralem esse volunt, excluderunt.

Respondeo hic breuibus, & facile patior, vt Dn. Opponens qui aures arrigere lectorem iubet, ad audiendam responsionem ad nubes usque aures arrigat. Veritas ex argumentis, non ex persona loquentis, vt supra iam dixi (§. 48. Sch. 2.), astimanda est, quocirca consentiant, dissentiant Caluiniani, nihil hoc ad rem facit. Deinde quis & qualis illorum nexus sit, neque ad liquidum deductum est. Interea silentio præterire non possum, calumniari Dn. Opponentem, dum adserere me, quod apostoli nil quidquam in miraculis fecerint, scribit pag. 87. Contrarium satis

satis e superioribus elucet (§. 58. seqq.). Et si adfirmare me illud verum est, cur non allegavit locum, qui alias in locis allegandis admodum est sollicitus? Sed ita fit, ubi non pro veritate eruenda, sed ad odium alteri conciliandum disputatur.

## §. 81.

Videamus autem, quid Dn. Dissidentis pro sua sapientia de  
hac re noui statuat anim. 18. pag. 87. Negans, apostolos mi-  
raculorum, ab ipsis editorum, causam moralem instrumenta-  
lem fuisse, negat etiam, quod fuerint causa instrumentalis phy-  
sica. Quid ergo? Placer ipsis, eos causam instrumentalis fin-  
gularem vocare. Quo sensu? quia ad naturam causae instru-  
mentalium proxime accedant, nec tamen in opere diuino & vires  
naturales exinde omnia ex indole causae instrumentalis vulga-  
ris possint estimari. Quid hoc rei est? Status questionis in eo  
versatur:

quomodo a prophetis & apostolis facta sint miracula, cum  
facultas miracula patrandi soli Deo propria sit?

Ipse Dn. Opponens hoc in principio tractationis huius agno-  
uit anim. 6. pag. 57. Iam postquam inanem disputationem  
in longum protraxit, suam tandem ita aperit sententiam:

Prophetas & apostolos in miraculis illis ad naturam causae  
instrumentalis proxime accessisse, sed omnia ex indole cau-  
sa instrumentalis vulgaris estimari non posse; quo sensu  
uno verbo eos causas instrumentales singulares vocatu-  
rus est.

An exinde modus concipitur, quo prophetæ apostolique mi-  
racula præstiterunt? Verba mera & res distinguere ignorat,  
qui hoc sibi persuaserit. Denuo enim hic queritur: quomo-  
do ad naturam causæ instrumentalis proxime quidem accesser-  
int? cur tamen omnia ex indole causæ instrumentalis vulga-  
ris nequeant estimari? & in quonam differentia sit posita inter

L aposto-

apostolos, miraculorum auctores & causam instrumentalem vulgarem? De quibus omnibus, licet cardo controuerfie in illis vertatur, magis tamen mutus est Dn. Opponens, quam pscis. Et licet ex simili legati, quidquid agit & efficit, vere agentis, licet non auctoritate propria, tamen vi potestatis, ab hero impetrare, rem declaraturus sit Dn. Opponens, sc. quod eodem modo propheta & apostoli, legatorum munere perfunditi, vere miracula ediderint, virtute non quidem propria & naturali, tamen aliunde accepta & diuina, nec tamen eo declarat modum. Nam denuo queritur: quomodo miracula edere potuerint virtute diuina, cum potentia miracula patrandi, vt consequens omnipotentiaz, quam soli Deo propriam esse in confessio est, soli Deo propria sit? & cum, ipso Dn. Opponente fatente, facultas θαυματργ-γυν̄ non ita communicata fuerit cum thaumaturgis, vt inhæserit subiective? Neque simile illud rem declarat propter disparitatem rationis. Legatus enim principis in rebus moralibus auctoritatem, nomine principis agendi, a principe potest accipere; at effectus miraculorum, e. g. restitutio vita, sanitatis, erant physici. A moralibus autem ad physica concludere απαιδευτια est. Dandum igitur potius esset exemplum, quo princeps facultatem suam naturalem agendi physicam, e. g. robur corporis insolens, cum alio quodam ita communicauerit, vt is virtute eius effectus physicos potuerit præstare. De quo frustra laborabit Dn. Opponens, etiam si, tali etiam exemplo dato, nondum distinet, sed confuse tantum negotium præsens persiceretur.

## §. 82.

*An a Theolo.* Cauillatio porro est, dum anim. 19. p. 88. Dn. Opponens scri-gia nouaca-bit: Cauendum esse (puta in hoc negotio, de quo iam sermo uendum? est) a Theologia noua, i. e. mea. (De Philosophia iam non loquor, quia id non ad me.). Nil ego noui in hoc negotio de modo, quo viri diuini miracula præstiterunt, dixi, sed id, quod

quod scriptor omnium antiquissimus, Moses, clarissimis verbis vice plus simplice docuit (§. 58.), quodque iam ante saeculum Philosophus & Philologus suæ ætatis summus, Slevogt, eodem modo & qua verba & qua rem dilucide, non repugnantibus, quantum scio, aliis sui ordinis viris, inculcauit (§. 69. Sch.). Quia igitur fronde hoc nouum dicit Dn. Opponens, a quo cauendum sit? Si ab eo cauendum est, a Mosis etiam, & aliorum scriptorum S. doctrinis cauendum est, quia Dn. Clugio dispergunt. Fac autem, nouum me dixisse. An omne nouum est falsum? Est tamen suspectum. At quibus? eis, qui argumenta ab utraque parte recta lance pendere nesciunt. Aequus enim & prudens rerum æstimator ex argumentis, non ex nouitate, vel vertute de veritate dogmatis iudicat.

## §. 83.

Ill. Wolffius in Theol. Nat. P. I. §. 473. prophetas apostolos-  
que causas miraculorum, ab ipsis editorum, occasio[n]ales vocauerat turgire recte  
hoc sensu, quod vi agendi miracula propria vel inhærente quidem dicantur mi-  
destinuti fuerint, at[tem]en Deo agendi miraculum occasionem præ-  
buerint. Nam causa occasionalis ipsi est, qua vi agendi propria  
destitutur, Deo tamen agendi occasionem præbet Psychol. Rat.  
§. 590. Quod cum ego etiam adseruerim Theol. Reu. §. 55, ab  
obiectionibus liberandum est. Obiicit Dn. Opponens an. 19.  
p. 89:

i, pro data modo cause occasionalis definitione dicendum esse, quod  
Israëlite murmurantes & de aquarum penuria exposulantibus  
habuerint facultatem miracula patrandi a Deo communicatam,  
propterea quod, cum ipsi vi propria aquas e falso eliciendi desti-  
tuuerentur, Deo per murmurationem occasionem dederint, eas-  
dem eliciendi.

Videamus, quantum roboris huic obiectioni insit! Wolffius  
Theol. Nat. P. I. §. 473. posuit propositionem: Si Deus enti

cuidam miracula patrandi facultatem confert, id non nisi eorumdem causa occasionalis est.

In quibus verbis latet propositio hæc:

*Quicunque ( homo merus ) habet facultatem miracula patrandi a Deo collatam, ille eorum causa occasionalis est.*

Sub hac maiore subsumit Dn. Opponens:

*Atqui Israëlite, propter aque penuriam murmurantes, miraculi ( sc. quo Deus aquam ex saxo eliciebat ) causa occasionalis sunt.*

*Nam ( vt definitio causæ occasionalis habet ) etiam si ipsi vi propria miraculum illud agendi destituerentur, Deo tamen murmurando miraculi agendi occasionem præbuerunt.*

*E. Israëlite facultatem miracula patrandi habuerunt a Deo collatam.*

Non miror, tam absurdam conclusionem Dn. Opponentem e præmissis venari, quia in præmissis regularum Logicarum sese ignarum, vel oblitum esse prodidit. In secunda enim figura ex puris affirmantibus nihil legitime sequi, Logicæ tyrones norunt. Quodsi vero maiorem propositionem, vt syllogismus ad primam figuram reducatur, simpliciter conuersurus sit ita:

*Quicunque miraculi causa occasionalis est, ille facultatem miracula patrandi, a Deo collatam habet,*

nego, illam veram esse, neque illa propositio est Wolffiana, quia Wolffius hanc potius propositionem:

*Quicunque facultatem miracula patrandi a Deo collatam habet, ille miraculi causa occasionalis est,*

posuit. At vero non omnem propositionem vniuersalem simpliciter converti posse, iterum Logicorum filii norunt omnes, Quanto igitur satius fuisse, Logicæ operam dare, quam veritates oppugnare inconcussas!

2. *Dn. Wolffio indice, nutum apostolorum tanquam conditionem a Deo spectatam fuisse, sub qua miracula facere voluerit; at occasionem rei gerende & conditionem, quam Deus in agendo picitat,*

*spectat, non esse unum idemque; quamobrem apostoli causa miraculorum occasionalis non possint dici.*

Nil obstat, quin vnum ens sub diverso spectandi modo conditio sub qua, & occasio agendi possit esse. Fingo exemplum. Pater filio nouam vestem promittit, si publice dissertationem defendat. Defensio dissertationis est conditio, sub qua vestem filius est accepturus; & dum sit vel facta est, patri etiam occasionem nouæ vestis parandæ præbet. Potuit igitur natus apostolorum & conditio, sub qua Deus influxum miraculosum præstiterit sit, & occasio præstiti esse, neque ego quidquam in eo difficultatis inuenio. Ceterum non dispuo de illo, quid Theologi dicant sentiantue, sed de illo quid verum? quidque S. Scriptura & rationi sanæ conueniens sit? Lubricum sane fidei fundamentum auctoritas humana esset. Quod autem Dn. Opponens hanc tractationem his verbis claudat: *Itaque in Philosophia Wolffiana nil tam a sacris litteris & sobrie principiis philosophiae alienum traditur, quin illud Dn. Carponius in Theologiam suam reuelatam transferendum putarit, id noua & maligna obtructio est.* Tantum enim abest, vt, quæ docui de communicatione facultatis thaumaturgicæ, a sacris litteris & sobriæ Philosophiæ principiis aliena sint, vt illis & his sint conuenientissima; quorum vii prius ex superioribus (§. 58. 59.), sic posterius, si Dn. Wolffium Theol. Natur. T. i §. 471. seqq. non audias, ex Slevogto est euidentissimum (§. 69. Sch.). E contrario vero Dn. Opponentem modo rem & rei modum miscere, adeoque in ignorantie elenchi versari (§. 71.), modo meliorem rei explicationem suppeditaturum, aërem ferire (§. 81.), modo in obiectib⁹ suis tritissimarum regularum Logicarum, quas discipulum ignorare nefas est, ignarissimum se ostendere (§. 71. 83.) denique in tota hac doctrina ne vnius quidem sinistra locutionis, multo minus erroris conuincere me potuisse, ex omnibus iis, quæ adhuc disputata fuerunt, constat.

L 3

SCHOL.

**SCHOL.** Antequam ab hoc arguento digrediar, pauca quædam aduersus notulam, qua p. 88, legitur monenda sunt. *Nouum principium Hermeneutices sacrae: dicta scriptura explicentur conuenienter illis, que Dn. Wolffius in scriptis philosophicis docuit; quod nemini praeter Dn. Carponium, interpretem Wertheimensem & paucos alias se probaturum sit, invenisse se putat Dn. Clugius.* Noli, lector, inventionem mirari. Ex candoris enim & sapientiae Clugiana foerte fonte est. Siccine tu autem, Dn. Opponens, in Theologia mea, quam impugnas, hospes es, ut ignores, quæ hermeneutice sacra principia agnoscam? Oftende in iis, quæ §. 313, seqq. demonstrauit, hoc nouum tuum, si potes. Si non potes, cur mihi oggannis quod non docui? An ita forsan id emendandum putas esse: *dicta scriptura explicentur conuenienter iis, que Dn. Clugius in singularibus Anti-Carponianis docuit?* Dic ipse quæso sententiam, an iure id postulare queas, postquam in deformitatem illorum iam intueris, vt in speculum? Deinde cui interpretem Wertheimensem mihi adiungis? Annon ad odium mihi conciliandum? An hoc est candide agere? an pro conscientia? an Theologice? annon potius subdole & malitiose? annon per apertam calumniam? Si negas hoc, si pro merito fieri dicas, ostende errores Wertheimenensis interpretis in Theologia mea, si potes. At tantum absit, ut possis vñquam, ut potius ipse ~~repro~~ illius ~~viudos~~ ex instituto (in der Rettung der Wahrheit und Unschuld 1736.) publice demonstrauerim. An tu fecisti idem? Nequam. Omnum in me traducendo gloriam quæris. In his responsionibus si non adquiescas, dabo tibi aliam, quam in *Excerptis ex libris Seneca p. m. 833*, inuenies: *Male de me loquuntur. Bene nesciunt loqui. Faciunt non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.*

### §. 84.

*Quid auctor de communicatione facultatis creatricis sentiat?* Futilitate igitur objectionum & obtrectationum Dn. Adgressoris in doctrina de miraculis, per homines factis, copiose, at necessitate ita postulante, ostensa, redeundum est ad id, de quo nomen huic capiti est datum. Scilicet dum meam de communicatione potentiae creatricis sententiam examinaturus

turus est Dn. Opponens, ante omnia opus est, ut momentum rei paucis exponam. Demonstrauit Theol. Reu. §. 925. vim creandi cum creatura nuda non posse communicari. Ita se habent verba:

*Vis creandi inuoluit vel supponit omnipotentiam. Quia autem omnipotentia est attributum soli Deo proprium, potentia creandi quoque soli Deo propria esse & manere debet. Cumque adeo nulli creature nude vis creandi etiam competere possit, eadem est omni creature nude incommunicabilis.*

Quia autem a communicata vi thaumaturgica obiectio contra adsercionem hanc poterat formari, ita de eo in Scholio verba feci:

*Si dicas: potentia miracula patrandi etiam soli Deo propria, & tamen cum hominibus quibusdam communicata est, attendas queso, non aliter vim miracula patrandi a Deo cum hominibus communicatam fuisse, quam ita, ut ad voluntatem hominis ipse Deus miraculum prestaret. Ita vero potentiam creandi quoque cum homine a Deo communicari posse, non negavimus, si quidem de eo potius, quod homini in se potentia creandi conferri nequeat, est sermo.*

In quibus verbis etsi tantum, quasi aliud agendo, concessi, hoc modo facultatem creandi cum homine communicari posse, ut Deus homini promissum det, se ad voluntatem hominis creaturum esse, quod homo velit creatum, pariter ac eodem facultas miracula patrandi cum hominibus olim communicata fuit (§. 61.), nil tamen in eo noui aut inauditi adserui. Nam Slevogius in Diss. 3. de creat. in genere §. 35. p. 476. ita: *supereffet, ut de altera etiam questione ageretur, an creatura queat esse instrumentum Dei morale ad aliquid creandum?* In qua constitueramus demonstrare, prophetas & apostolos fuisse instrumenta Dei, non physica sed moralia ad actus supernaturales. Sed quia praesens pagina non capit, hoc solum addimus,

quod

quod sicut Deus ad nutum Iosue stlit solem, ad preces Elie excitauit mortuum, nutu illius & precibus huius nihil ad effectum conferentibus nisi moraliter, ita etiam Deus ad orationem Petri vel clamorem Pauli possit rem nouam creare, vt tamen oratio illius & clamor huius nihil ad effectum conferant, nisi per modum impetracionis; vt adeo dum per seculi spatium haec doctrina nondum suspecta fuit, neque in meis scriptis talis videri possit.

§. 85.

*Responso ad Dn. Opponens, dum querit ubique, quod reprehendat animaduersiones Dn. Opponentis diuersas.*

I. Singulare dicit esse, quod non distinet satis indicauerim, quale communicationis genus hoc loco velim intellectum; si quidem Velthemiūs octo communicationis modos enarrauerit.

Diligentem Metaphysicā Velthemianā scrutatorem in eadem non inuenisse, quod causa moralis instrumentalis monstrum sine monstro sit, miro! (§. 80.). Quod autem ad rem attinet, ineptum hoc postulatum est. Adserui Theol. Reu. §. 925, thesin: *vis creandi omni creature nuda (in se) est incommunicabilis.* Ad hanc thesin intelligendam opus est tantum definitio communicationis, quam dedi Theol. Reu. §. 813, non autem enumeratione modorum, secundum quos enti aliquid communicatum dicitur esse. Et quamuis non negem, hanc esse verborum mentem, quod vis creandi non possit cum creatura ita communicari, vt insit subiectiu, siquidem haec sensus determinatio ex addito: *in se* in Scholio patescit, non tamen necessarium erat termino metaphysico rem exprimere. Terminii metaphysici etiamsi possint in Theologicis adhiberi, non tamen sunt tractationis Theologicae requisitum necessarium.

2. Non opus fuisse, dicit, ut vim creandi cum creatura nuda ita communicari non posse, ut insit subiectiu, operose demonstrarem,

*strarem, quia sane mentis nemo eo sit protapsurus, ut perfe-  
ctiones, solius essentiae infinitae proprias, in creaturam finitam  
transfundere posse putet.*

Facetum hoc est monitum. Annon mihi potestas est, pro lumen agendi cum eo, quod meum est? Annon igitur mihi licet, in libro meo theses dogmaticas veritati conformes demonstrare, quascunque velim? An in thesi demonstranda indagandum est semper, an forte quidam fuerint dissentientes? Quis tantum iugum sibi a Dn. OppONENTE, nulla ad id auctoritate pollente, imponi patietur? Demonstratio theses, a nemine licet negata, lectori solidæ cognitionis cupido, facit ad conuictionem, qua sane ex eo, quod nemo sane mentis in dubium vocauerit, non oritur. Cum omnis homo, licet sit sane mentis, sit tamen in se fallibilis, consensus aliorum probabilitatem, non conuictionem efficit, dum e contrario demonstratio manifestat, veritasne sit, an præconcepta licet communis opinio, quod dicitur? Verbo: redit hoc Dn. Opponentis monitum ad hanc regulam Logicam:

*Quæcunque thesis a nemine negata fuit, illa non est demonstranda,  
quam ob rationem modo dictam nego.*

§. 86.

Deinde Theol. Reu. §. 925, adquieui in eo, quod vis cre-  
andi cum creatura nuda (subiective) nequeat communicari, & postulatum,  
quia questionum subtiliorum: *vtrum creatura in societatem quod auctor  
creationis venire possit tanquam causa principalis?* an tantum quasdam  
*per modum causa instrumentalis?* & si *vt causa instrumentalis,* questiones  
non debuerit  
omittere.  
*vtrum vt instrumentalis physica?* an *vt moralis?* in dogmati-  
bus Theologicis parvam vel nullam utilitatem perspiciebam  
esse, tuto ab illis posse me abstinere, arbitratus sum. At quia  
Dn. Opponens, quod carpat, querit, hoc etiam in vitio po-  
nit, scribens an. 3. pag. 53. in scriptis Theologorum Et Philoso-

phorum antiquorum multo subtilius & enucleatus, quam a me, *banc de communicatione potentiae creatricis doctrinam pertrahari.* At in hoc etiam, vt paullo ante, respondeo, a meo pendere arbitrio quid? & quantum in libro meo proponam? neque me regulas illius a Dn. OppONENTE exspectare. Si mea ipsi dispiacent, ex quo id animo fero, quia liber, qui omnibus ad palatum sit, semper in desideratis manebit. Non video autem, quid tandem ad benevolentiam Dn. OPPONENTIS captandum faciendum sit? Dum demonstro, virtutem creatricem non posse cum homine nudo in se spectato communicari, hoc omitti iubet (§. 85.). Dum omitto quæstiones de communicatione potentiae creatricis subtiliores, parvam vel nullam in Theologia utilitatem præbentes, illas tractari vult. Vnde non habeo exploratum, an forsitan Dn. OPPONENTS postulet, ut quisquis Systema Theologicum consignaturus est, catalogum propositionum proponendarum limatissimo ipsius iudicio prius exponat? Non arbitror autem, multos fore, qui iugo se huic submittant.

## §. 87.

*An recte di-*  
*ctum sit,*  
*quod cum*  
*creatura nu-*  
*da potentia*  
*creatriz*  
*communica-*  
*ri nequeat?*

Sequitur censura noua priori non dissimilis. DIXI: *creaturæ nude incommunicabilem esse potentiam creandi Theol. Reu.* §. 925, ne forte, ad infringendam doctrinam de communicatione idiomatum in Christo, quidquam scripsisse lectori vide rer. Dn. OPPONENTS in re ipsa non habet hic, quod opponat. Attamen ne sic quidem, ipso iudice an. 4 p. 53, recte feci. En iniquitatem! Si simpliciter posuisset, *potentiam creatricem non posse cum creature communicari*, mora non interposita, me idiomata divina cum humanitate Christi communicata negare, ad Caluinianorum hypotheses me accedere, cauendum esse a Theologia Carpouiana, & quid non? multis cum verborum lenociniis proclamasset. Ita enim fecit ill. Wolffio, cui, attributorum entis incommunicabilitatem adserenti, principia heterodoxa

doxa ad impugnandam Theologiam nostratium Caluinianis suppeditasse, per meram licet *ārādūriāv* (§. 78.), ognanit anim. 15. pag. 80. Et quid dubitas? Lege anim. 20. p. 94. Ibi enim relata propositione Wolffiana, quæ sine limitatione posita est, ex Theol. Nat. P. I. §. 775: *Potentia creatrix nulli enti a Deo communicari potest*, clarissimis verbis Dn. Opponens scribit: *Hic nihil est, quod moneam præterquam quod nulli enti a Deo communicari posse potentiam creandi adférens* (Wolffius) non caute satis loquatur, eamque cum humana etiam Christi natura communicatam esse negare videatur. Ex parte aduersa dum, addito adieciuo: *nuda*, hancce calumniandi occasionem euitaui, ne sic quidem se rem recte habere, sed *eadem determinatione non opus fuisse*, dicit, Dn. Opponens, quia nec cum humanitate Christi potentia creandi ita queat communicari, ut *infit* subiectum. Sic Zolinus semper, quod carpat, habet, at eo ipso indignum se responsione reddit. Superuacuum enim est, ad tales obiectiones Dn. Opponentis vterius respondere, quas ipse falsas & absurdas esse profiteretur.

## §. 88.

Iam demum ad rem ipsam Dn. Opponens progreditur. Adserueram, quod quemadmodum facultas miracula patrandi cum *potentia creatrix possit cum homine communicari?*

*Quomodo*  
serueram, quod quemadmodum facultas miracula patrandi cum *potentia creatrix possit cum homine communicari?*

hominem ex promisso diuino ita communicari queat, ut, hominem miraculum præstandum volente, Deus præstet, ita etiam facultas creandi eodem modo cum homine communicari possit, puta per promissum diuinum, ut homine creaturam produci volente, Deus producat, quæ tamen communicatio potentiae creatricis non repugnet incommunicabilitati eius subiectiue spectandæ vid. Theol. Reu. §. 925. Sch. Contra ea Dn. Opponens etiam si potentiam thaumaturgicam cum homine communicari posse concedat, negat tamen, cum eo communicabilem esse vim creatricem anim. 5. p. 54. Rationem desumit ex eo, quod per creationem aliquid ex nihilo producatur, per miraculum autem noua

*forma in subiectum introducatur, adeoque in utroque casu disparitas rationis sit.* Ita igitur, si recte attendamus, concludit:

Si in creatione aliquid ex nihilo producitur, at in miraculo tantum noua forma in subiectum introducitur, a communica-ta facultate thaumaturgica ad communicabilitatem virtutis creatricis non valet consequentia propter rationis dispa-ritatem.

Sed verum est prius. E.

Esset in hoc arguento quædam veri species, si ita cum thaumaturgis potentia *θαυματοργικη* communicata fuisset, ut inhæ-sse subiectiue; etiamsi ne sic quidem satis firma consequentia esset. Vis infinita ad rem e nihilo producendam non mi-nus, quam ad nouam formam in subiectum introducendam suf-ficit. Quisquis igitur vim infinitam, ad miracula producenda, subiectiue inhærentem habet, ille etiam per eandem aliquid ex nihilo producere, i. e. creare potest, vt adeo vis consequentiaz in illo arguento nulla sit. An vero vim infinitam, cuius ope noua forma in subiectum introducitur, ad rem e nihilo producendam non putas sufficere? Dabo, vt clarior res fiat, exem-plum simile. Per artem scrinariam & mensa confici potest & scrinium, pariter ac per vim infinitam & noua forma in subie-ctum introduci & aliquid creari potest. Enim vero si opifici mensam vi artis scrinariæ, quam callet, conficienti obiicias, non posse illum scrinium conficere, quia disparitas rationis in effectu sit; annon ludibrio te eius expones? Annon respondebit, non ad disparitatem rationis in effectu, sed ad paritatem rationis in principio agendi respiciendum esse? At Dn. Oppo-nens in obiectione sua id non perspicit. Quemadmodum igitur nil hoc argumentum contra meam assertionem proficit, sic dum ego contra ea in communicatione potentiaz creatricis ex communicatione facultatis *θαυματοργικης* conclusi propter paritatem rationis, ratio argumentandi inconcussa est. Et licet forte

forte modum communicationis potentiae ~~θαυματεργων~~, quem adstruxi, negare se excipiat Dn. Opponens, sufficienter tamen ad eadem in superioribus est responsum (§. 58, seqq.).

## §. 89.

Supersunt ultima huius capituli anim. 20. p. 90, in quibus *An creatura multa Dn. Dissentiens disputat de quaestione: num virtus cre- possit causa andi cum creatura nuda communicari posse, ita, ut eadem tan- moralis in- quam instrumentum vel medium a Deo ad creandum adhibeatur?* Superfedere possem responsum ad haec, quia nihil ego de hac re adfirmavi vel negavi. Interea facile e superioribus con- stat, non errare Slevogtum in verbis supra (§. 84.) excitatis, dum creaturam creationis cuiusdam causam moralem instrumen- talem esse posse, non quidem claris verbis, sed positista- men concludendi principiis, dicit. Quam sententiam suam etiam fecit Hildebrandus in Theol. Dogm. p. 241. Fieri enim potest, ut, dato homini a Deo promissio de creanda creatura, quam promissioni firmiter fide inherens creatam velit, homine autem dein creationem rei volente, Deus per eandem volunta- tem hominis, non intuitu valoris proprii, sed e promissio diuino accepti, moueat ad eandem rem creandam. Cum igitur causa, quae in se non haberet, quo causam physicam moueat, dum tamen mouet, mouet accepto valore a causa principali, dicatur causa moralis instrumentalis (§. 68.), fieri potest, ut homo sit crea- tionis cuiusdam causa moralis instrumentalis. Fateor enim, me nullam in his contradictionem perspicere. Et cum Deus plura posit facere, quam perimus aut cogitamus Eph. III. 20, cur potentiam Dei in eo, cuius nullam contradictionem per- spicimus, restringemus, cum potentia Dei ad omne possibile extra Deum referenda sit? At inquis:

*Si creaturam causam moralem instrumentalis creationis cuius- dam esse dicas, non adparet, quo pacto argumentum a creati- one petitum, in demonstranda diuinitate filii Dei saluum ma-*

neat, cum homo Socinianus vel Arianus possit exciperē, Patrem per filium tanquam instrumentum proprie sic dictū hoc uniuersūm condidisse.

Vanus hic timor est, quia non tantum, adhibitis particulis *de* Ioh. I. 3, *et* Col. I. 16, sed etiam simpliciter opus creationis vniuersi filio Dei in S. Scriptura tribuitur Hebr. I. 5. 8. 10. II. coll. Ps. CII. 26, *vnde*, maxime si diuinitas filii aliunde iam cognita sit, ut ego quidem Theol. Reu. §. 786, seqq. rem proposui, facile infertur, quod tribuatur ipsi, ut causæ principali, quodque adeo particulae: *et*, *de* non instrumenti, sed ordinis operandi rationem tantum denotent. Nusquam enim in S. Scriptura eiusmodi locutiones occurrunt, vbi opus creationis ita creaturæ tribuatur, vti Hebr. I. c. filio Dei tribuitur.

### §. 90.

*Continuatio.* Denique a statu controuersia alienum est, dum auctor an. 20, pag. 92, dicit: *ratio non adparet, quare per creaturam producere aliquid ex nihilo seu creare Deus velit?* Quem in finem, putas, eiusmodi instrumentum ad reliquas res producendas adhiberi posse? Neque enim de eo quæstio est, an Deus in creatione rei actu adhibeat instrumentum, vel adhibere velit, sed an possit? At, inquis, *non potest Deus aliquid velle, quod nullius foret utilitas.* *Vnde sequitur, non posse cum per causam instrumentalem aliquid ex nihilo producere, sive virtutem creandi cum creatura nuda communicare.* Non hoc quidquam ad rem facit. De eo enim quæstio est, an possit Deus, si adesset ratio volendi? Vel an sit simpliciter contradictorium? quod ultimum pro ea quidem, quam dedimus, rei explicatione nobis non videtur ita se habere. Reliqua dum aduersus me non pugnant, nec meo opus habent examine. *Quod enim ad rem ipsam attinet, satis dilucide veritas in superioribus est proposita.*

CA-

## CAPVT V.

DE

POSSIBILI MVNDI AETER-  
NITATE.

§. 91.

**S**equar in his ordinem, a Dn. Opponente seruatum. Adse- *An creatio  
rui Theol. Reu. §. 926, creationem miraculum idque maximum mundi sit  
esse. Quomodo hoc probatum dederim, facile ex l. c. lector miraculum?*  
perspiciet. Conclusi ita:

Quidquid est euentus supernaturalis, id est miraculum.

Creatio est euentus supernaturalis. E.

Quia maior est ipsa definitio miraculi Theol. Reu. §. 660, res  
redit ad minorem. Hæc inde adparet, quia per vires naturales  
vel naturæ non solum non præstatur creatio, sed nec potest præ-  
stari, quippe virtus creatrix non potest cum creatura, puta ut  
causa creationis principali vel instrumentalí physica ( quod  
enim possit causa instrumentalis moralis esse, huic non obest,  
quoniam in hoc casu non per vim creaturæ vel hominis, sed  
Dei creatio perficitur §. 88. ), communicari. At hoc quo- *Solutio ob-  
que anim. i. pag. 94. Dn. Opponenti singulare est, in quod iectionum.*  
tela exceptiuncularum vibrare statuit. Opponit

I. Miraculum supponere ordinem nature iam institutum & con-  
sistere in quadam ordinis illius immutatione; unde sequatur,  
creationem non satis commode miraculum adpellari, quia non  
sit actus ordinem nature immutans, sed constituens.

De adsero meo pro mea definitione iudicandum est; quod ni-  
si faciat Dn. Opponens, iterum logomachum se esse prodit.  
Pro mea autem miraculi definitione legitime sequi conclusio-  
nem, quod creatio miraculum sit, modo ostendi. E contra-  
rio alia definitione adsumpta, quod in hacce obiectione fit,  
aliam

aliam conclusionem sequi, quis mirabitur? Tyrones hoc norunt Logicæ. Quemadmodum autem definitionem sibi a me obtrudi, non patietur Dn. Opponens, sic pari in ipsum iure vtor.

2. *Creatio est productio rerum e nihilo, at omne miraculum subiectum supponit.*

In forma hoc argumentum se ita habet:

*Quidquid est productio rerum e nihilo, id non est miraculum, quia miraculum supponit subiectum.*

*Creatio &c. E.*

Nego pro mea definitione maiorem, & contra eam concludo ita:

*Quidquid est euentus supernaturalis, id est miraculum.*

*Productio rerum e nihilo est euentus supernaturalis, siquidem ipse Dn. Opponens neminem nisi Deum, qui supra naturam est, creare posse statuit p. 90. seqq.*

*E. productio rerum e nihilo est miraculum,*

3. *Secundum Theologiam Carponianam §. 918. Sch. creatio, improprie accepta, notat productionem miraculorum. Non igitur creatio proprie sic dicta potest miraculum esse, & hinc in Theologia scientifice conscripta evidens est contradicatio.*

Non intelligere videtur Dn. Opponens, quid contradicatio sit? Una propositionum mearum est §. 926:

*Omnis creatio proprie sic dicta est miraculum.*

Propositio enim indefinite posita vniuersaliter debet intelligi. Altera se habet ita §. 918. Sch.

*Quadam creatio, improprie sic dicta, est productio miraculi.*

Particulariter enim propositionem ponendam esse, docet l. c. particula *interdum*. Nam vero contradicatio est simultanea eiusdem de eodem affirmatio & negatio, quæ in terminis debet commissa esse, si patentem vel evidentem dicas. At nemo tam

lyn-

lynceus erit, qui perspiciat, hoc loco in vna propositione adfirmari, quod in altera negetur; quocirca non solum nulla euidentis, sed plane nulla est contradic<sup>tio</sup>. Dabo exemplum simile & palpabile, vt facilius obiectionis futilitas perspiciat;

Omnis leo proprie sic dictus est substantia.

Quidam leo improprie sic dictus (Christus) est substantia. Quomodo, quæso, hic vnum alterum destruit? Potest prius verum esse, salua veritate posterioris, & posterius potest verum esse, salua veritate prioris. At similis est prioris argumenti ratio.

4. Per Theol. Reu. §. 931. Sch. Deus in creatione viam naturalem, vbi & quantum fieri potuit, voluit adhibere; at actio illa, in qua Deus, vbi & quantum fieri potest, viam naturalem adhibet, non est omni ex parte miraculum, certe pro miraculo maximo venditari non potest; quocirca hinc altera oritur contradictionis.

Inanis hæc sunt. Nemo enim non videt, actum miraculosum, in quo via naturalis, vbi & quantum potest fieri, adhibetur, quatenus illa adhibetur, miraculosum non dici, esse autem nihilominus miraculosum, quatenus perficiuntur vires naturæ supergredientia. Sic actus creationis, quatenus Deus in illa viam naturalem forsitan adhibuit, eatenus non dicitur miraculosus esse, licet nihilominus in omnibus iis miraculosus sit, quæ per vires naturæ praesita non sunt, aut prestari non potuerunt. Pariter creatio vniuersi maximum miraculum recte dicitur, quatenus se ad totum refert vniuersum Theol. Reu. §. 926, & nihilominus viam naturalem Deus, vbi & quantum potuit fieri, potuit adhibere. Contradic<sup>tio</sup> igitur altera, in cerebro Dn. Opponentis nata, similis est priori, i. e. nulla. Tam plana hæc sunt, & perspicua, vt dubitem, vtrum Dn. Opponens dormiens, <sup>An autor philosophie</sup> an omnibus sensibus orbus scriperit: me amore Philosophie <sup>amore excat</sup> Wolffianæ excusatum hac, puta contradictiones obiectas, non catus sit?

N

Vide-

*Videre.* Ago enim gratias Deo, qui oculos mentis corporisque adhuc conseruauit mihi, doleo autem vicem Dn. Opponentis, qui odio Philosophiaæ Wolfianæ in perspicienda veritate adeo se excæcatum præberet, aut saltim oculos mentis adeo corruptos gerit, vt per transennam videat vbiique singularia & errores & contradictiones, quæ meri phantasia ipsius fœtus, aut, si mavis, excrementa sunt.

## §. 92.

*An auctor plagi reus?* At vt odium porro expletat, quem ne verbulo quidem lœsi prior, plagi etiam vitium mihi obtrudit. *Dissimulatio enim Wolfii nomine, & mutatis verbis, me ex eius Theol. Nar. P. I. p. 768. eandem doctrinam, quod creatio miraculum sit, transcripsisse,* cauillatur an. I. p. 96. Sic ergo omnis, qui eandem thesin, quam aliis forsan auctor in suis libris proposuit, suo in scripto adserit, licet eandem ex suis principiis recte deriuat, plagiarius est? Sic omnes etiam Theologi recentiores, systemata scribentes Theologica, & easdem cum vetustioribus theses proponentes, plagiarii sunt? Si negas, cur mihi hoc vitium obtrudis? Sed odium & obtrectandi studium ita postulabunt. Qui mentis affectus ut clarius lectori in oculos incurrat, addo etiam hoc. Ipse Dn. Opponens adlegauit an. I. p. 96. verba Chemnitii scribentis LL. Part. I. p. 122: *non minus miraculum esse, quam si ex nihilo creasset, quæ ex terra prodire iubet Deus.* In quibus verbis clarissime magni nominis Theologus & creationem mediataam ex materia præexistente & inhabili, & immediatam ex nihilo vocat miraculum. Cur igitur, quod creationem miraculum esse dixerim, pro singulari Dn. Opponens habet, cuius emanationem a me postulat? anim. 8. p. 150. Cur Wolfium, nec Chemnitium secutus fuisse ipsi dicor? At *vsum vocis vulgarem & philosophicum in verbis Chemnitianis probe distinguere iubet.* Scilicet dum Chemnitius creationem mediataam miraculum dicit, *vtritur voce sensu philosophico, dum immediatam, vulgari.* Ita vero

vero ei dicendum erat, qui ad incitas redactus non habebat amplius, quo reprehendendi iniuriam tegeret. Maximo enim Theologo inconstancia loquendi in eadem verborum serie obtrudenda erat, quo ridiculo conatus singulare Carpouianum Dn. Clugius posset fingere!

## §. 93.

Theol. Reu. §. 927. docui, *Deum non creasse mundum ex Responso ad essentia sua.* Dn. Opponens etiamsi, rem ipsam bene se babere, animaduer nec esse, quod iure quodam in hac sententia desiderari possit, fateatur an. 2. p. 96, habet tamen singulare monendum, quo eruditos defraudari noluit. Quodnam? Desiderat argumenta Theologica e S. Scriptura petita. Discremen argumentorum Theologicorum, ex S. Scriptura mediate & immediate petitorum, ignorare se, cuius rei supra aliud exemplum vidimus (§. 54.), nouo hoc arguento prodit. Id enim etiam argumentum Theologicum est, quod ex assertis S. Scripturæ per legitimam consequentiam, vel ratiocinationem polysyllogisticam derivatur. Euolens autem excitatos paragraphos vsque ad principia, loca biblica, ex quibus ducta theses demonstratio est, inueniet. Ceterum quemadmodum facile patior, vt ante iteratam libri editionem vel alia loca biblica, thesi confirmandæ inservientia, vel solutiones locorum difficultium margini exemplaris sui adscribat, sic frustra mihi curam videndi, quo pacto in gratiam redire velim cum Leibnitio, cuius verba ex Monadol. p. 97. exscripsit, commendat. Quamuis enim, locutionibus Leibnitii mitius explicatis (cur enim verba alterius ab errore, quam dici fieri potest, liberare, piaculum sit? Ipse Dn. Opponens ῥο εἰ Rom. XI, 36. 1. Cor. VIII, 6. non intelligit materialiter), non arbitrer, eum creationem ex essentia diuina docuisse, non tamen prius, quam in verba Leibnitiana me iurasse ostendat, conciliationem iure postulare potest Dn. Opponens. Sed sunt hæc inania singularium!

N 2

§. 94.

## §. 94.

*Responso ad* Sequitur confessum nouum singularium inane , priori tam aliam animaduersionem de non allegatis locis biblicis .

Sequitur confessum nouum singularium inane , priori tam simile , ut ouum ouo . Demonstrauit Theol . Reu . § . 928 , decretaum creandi in Deo eternum esse . An falsum hoc putat esse Dn . Opponens ? absit ! Ipse an . 3 . p . 98 . ex 2 . Tim . I , 9 . eadem veritatem defendit & demonstrasse sibi visus est . Quid ergo res vitii habet ? Increpat defectum allegatorum biblicorum , quia in Theologia Reuelata nihil , quin sufficientem e sacris litteris habeat probationem , tradendum sit . Quid hic respondeam , ex similium increpati discussione ( § . 54 . 93 . ) potest intelligi . Querentem autem de locis S . Scripturæ frustra quæsitis doleo non inuenisse Theol . Reu . § . 584 . Sch . vbi , demonstrata voluntatis diuinæ æternitate , eundem ex 2 . Tim . I , 9 . locum , ex quo quid valeant humeri in demonstranda æternitate decreti creationis experturus fuit , in eadem doctrina allegatum leget , etiamsi indicis locorum biblicorum ope facilis negotio inuenire potuisset . Scilicet cum I . c . adhibuerim illud effatum Paulinum ad doctrinam de æternitate voluntatis Dei stabilendam , sed decretum Dei sit voluntas Dei Theol . Reu . § . 891 , ex eodem effato etiam æternitas decreti diuini in genere concludi potest . Sed ab æternitate decreti diuini in genere ad æternitatem decreti de creando V . C .

## §. 95.

*An autor* At grauior ad manus est accusatio . Scilicet si audias Dn . doceat , qui Opponentem anim . 3 . pag . 99 . talia tradit , quibus decretum , bus eternitas de creando mundo , vel homine saltim , inde ab eterno factum , decreti de creando in penitus eneruatur . Quid ita ? Historiam creationis Mosaicam Deo euenta secutus scripsi Theol . Reu . § . 965 : Omnibus his a Deo factis (puta creaturis coelestibus & terrestribus præter hominem ) consultauit & consilium cepit Deus de homine condendo Gen . I . 26 : Faciamus hominem ad imaginem nostram . Vbi - - - ipsa Divinitatis persona inter se consultarunt , aut , si manis , decretum forma-

formarunt de homine condendo; cuius, sibiuncta statim v. 27. executione, peculiariter mentionem fecit Moses, non ad negandam decreti diuini de homine creando aeternitatem, sed ad huius praे aliis creaturis visibilibus præstantiam, quam sequentia docebunt, indicandam. Ex iis enim ita argumentatur Dn. Opponens:

*Quodcumque decretum Deus formauit, reliquis omnibus iam factis, id non est aeternum.*

*Decretum de condendo homine Deus, reliquis omnibus iam factis, formauit; per Theol. Carpou.*

*E. Decretum Dei de homine condendo (per eandem) non est aeternum.*

Distinguo & limito:

*Quodcumque decretum Deus formauit in se, reliquis omnibus iam factis, illud aeternum non est.*

Decretum de condendo homine &c. Ergo, nego minorem, quippe quam nusquam ego adserui, aeternitatem potius voluntatis diuinæ Theol. Reu. §. 584, decretorum diuinorum in genere Theol. Reu. §. 884, & speciatim decreti de creatione adstruens Theol. Reu. §. 928, & hoc ipso §. 965. professus, Mosen decreti de creatione hominis, a Deo formati, mentionem facere post reliqua creationis opera, non ad negandam decreti diuini de homine creando aeternitatem, sed ad huius praे aliis creaturis visibilibus præstantiam indicandam, quod ipse etiam Dn. Opponens concedit. Porro:

*Quodcumque decretum Deus pro captu hominum imbecilli formauit, reliquis omnibus iam factis, illud aeternum non est (puta in se).*

Decretum de condendo homine &c. Ergo,

nego maiorem. Aeternitas enim decreti diuini in se neutrum quam destruitur eo, quod pro captu imbecilli ut in tempore formatum nobis illud repræsentemus; nisi forte summam Dei

simplicitatem in se etiam destrui putes, dum pro captu imbecilli oculi manusque ipsi tribuuntur. Non igitur, vt Dn. Opponens falso & insidiose perhibet, explicatio verborum Mosaiorum Gen. I. 26. Carpouiana aeternitatem decreti diuini de homine condendo cverit, id quod ex modo dictis euidentissimum est, sed verborum Carpouianorum maligna interpretatio, vel vt dicam rectius, peruersio Clugiana. Bonum enim & æquum interpretem si agere voluisset Dn. Opponens, recordatus fuisset, quod locus obscurior vel ambiguus ex clariore sit explicandus, ob eamque rationem quaæ dicta §. 965, ita explicuisset, yti demonstratis de aeternitate voluntatis Theol. Reu. §. 584. & decreti diuini Theol. Reu. §. 884. & speciatim decreti de creando Theol. Reu. §. 928, consentanea fuissent. Sed pe-  
dibus hæc æquitas conculcanda erat interpretis, vt esset quod mihi obtruderetur singulare, & contradic̄tio fingeretur noua.

## §. 96.

*Quæstio: an Deus mundum ab aeterno creare potuerit?* Quod autem in eadem examinanda plurima aduersus Ill. Wolffium aliosque, pauciora aduersus me disputat Dn. Opponens, at nulla mihi necessitas aliena defendendi imposita est, ad illa præcipue, quaæ ad me pertinent, respondere animus est. Primum Dn. Opponens in eo singulare, at quanti momenti? inuenit, quod Theol. Reu. §. 929. Sch. i. questionem: *an Deus potuerit mundum ab aeterno creare?* celebrem vocauerim an. 4. p. 100. Magno enim conatu magnas nugas acturus colligit, narrat, excitat, & opponit auctores, quorum maior (puta apud eos, qui odio Philosophiaæ Wolffianæ excæcati rationibus pugnare nesciunt) auctoritas est, friuolam, ridiculam, irrationali-  
lem hanc questionem vocantes. Vnde concludit tandem, omne id, quod Dn. Wolffium auctorem vel commendatorem habet, mibi celebre

celebre esse, licet in se valde ridiculum sit & absurdum. Non miror hanc cauillationem Viri, non argumentis solidis, sed auctoritatibus pugnantis. Non enim meliora, nec saniora, nec æquiora iudicia a tali exspectare possum. Fructus arbori est similis. Aequum & candidum arbitrum agere si voluisset Dn. Opponens, vocem: *celebris* eo significatu accipere, quo a me accepta est, non nouum contumeliosumque ei adstringere pro potentia animi debuisset. Celebrem quæstionem voco, de qua multum fuit disputatum, vel quod eodem reddit, quæ in multorum ore versatur. Vt si loquendi latino conformem esse hanc significationem, vel ex Lexicis constat. Annon autem quæstio dicta est talis? Annon ipse Dn. Opponens, magno auctorum cumulo excitato, & superiori & nostra ætate plurimas de isthac disceptationes factas esse, fateatur? Annon igitur est celebris? Sed friuola & absurdâ est. Quid inde? Annon potest quæstio absurdâ simul celebris esse? An vero absurdum, i. e. rationi rectâ repugnans, & in multorum ore versatum esse, sibi inuicem opponuntur? Quæ, sodes, hæc species oppositionis est? Nonne dantur etiam latrones celebres? En quam bella sint singularia Clugiana! Non dico autem, ipsam quæstionem absurdam esse, quia disquisitio eius non ad institutum iam pertinet, sed loquor ex hypothesi ita sentientium, quorum iudicio in medio relichto, celebris tamen pro mea notione est quæstio. Fac autem, quæstionem absurdam, friuolam, irrationalēm esse. Cur Dn. Opponens tam copiose de illa disputat, vt annales Volusi exaratus videatur? De absurdâ enim & irrationali quæstione tam longa & protracta oratio nescio an digna sit, quæ legatur.

## §. 97.

Quod ad ipsam quæstionem attinet, Theol. Reu. §. 929. *Quid auctor Sch. i. docui, mundum præsentem ab eterno non potuisse creari; vocet mundi quidem ipsa præsentis & aliis cuiusdam mundi oppositio dñm præsentem?* docet,

docet, per præsentem mundum illum intelligi, qui existit. Mundus enim existens opponitur mundis possibilibus tantum, omnisciencia diuinæ quidem obuersantibus, sed ad actualitatem non deducitis. Arbitratus fui, tantam huic rei lucem inesse, ut face non indigeret. At Dn. Opponens indicare me postulat an. 5, p. 101, quid intelligam per mundum præsentem? At eo tantum consilio querit, vt occasionem aduersus definitionem Wolffii de mundo disputandi nanciscatur. Etiamsi autem cum Ill. Büßfingero Diluc. §. 139. mundum definire malim per *uniuersitatem simultaneorum & successuorum mutabilium inter se connexorum*, quam per seriem, vt fecit ill. Wolffius Cosmol. §. 48, nil tamen Dn. Opponens, quo definitiō nem Wolffianam: *Mundus est series entium finitorum tam simultaneorum, quam successuorum inter se connexorum*, reliqua recte se habentem, & voce: *omnium adiecta facile emendandam, conuellat, in medium produxit*. Opponit pag. 103.

*Solutio obiectionum contra definitionem de mundo Wolffianam.*

1. Mundum per definitionem Wolffii in numerum accidentium collocari, quia mundus notet non res ipsas inter se connexas, sed seriem rerum connexarum; seriem rerum enim esse accidentis.

Abstractum hic pro concreto positum esse, quis non videt? Non enim seriem rerum, sed res simultaneas & successuas in serie constitutas mundum constituere, libentem Dn. Wolffium concessurum esse arbitror.

2. Posita hac definitione creationem e nibili obscurari; pro ea enim Deum, mundum creando, non produxisse res ipsas, sed seriem rerum, b. e. res inter se colligasse tantum, & in ordinem redigisse.

Nititur hæc secunda obiectione fundamento primæ. Prima igitur corruente, ipsa etiam corruit.

3. Per hanc definitionem mundum nec dum creatum esse, sed creari semper, quia sit series rerum successuarum; mundi status

tus futurus autem, dum pars presentis mundi dicatur esse, indicio sit, mundum non omni ex parte productum, nec opus uniuersum completem esse, sed semper generari vel produci; cum tamen Moses, Deum sex diebus compleuisse opus suum & septimo die quietuisse ab uniuerso opere, quod patrarat, adserat Gen. II. 1.

Videamus, quomodo hæc cohærent! Status mundi futurus est pars mundi præsentis, quia hic series successuorum est. Hinc mundus nondum omni ex parte est productus, vel nondum omnes mundi partes sunt productæ; dum scilicet futuræ adhuc, puta ex materia in mundo iam existente, producendæ sunt. Possunt hæc concedi. Ergo mundus nec dum creatus est, sed semper creatur. Negatur, hoc ex præcedente sequi, quia duplex vi-  
tium commissum est. An mundus substitui potest pro quibus-  
dam mundi partibus? An perinde est, utrum totum, an quas-  
dam ipsius partes nomines? An produci & creari sunt termini  
æquipollentes? Annon produci latius patet, quam creari?

4. Quæcumque definitio mundi innititur in hypothesi de harmonia  
anima & corporis præstabilita, illa non est admittenda.

Sed definitio mundi Wolffiana, &c. Ergo.

Vnde minorem probas? Ita:

*Si per definitionem mundi Wolffianam spiritus nullam in hoc uniuersu  
eiusque partes & euentus vim & potestatem habet, definitio illa hypo-  
thesi de Harmonia Præstabilita innititur.*

Sed verum est prius. Ergo.

In hoc prosyllogismo & antecedens & consequentiam nego,  
quorum neutrius probatio legitime dari potest, vt adeo tota  
objectione corruat.

5. Secundum illam mundi definitionem necesse est, vt transmutatio-  
nem mundi ex causis naturalibus euenturam esse dicamus, quoniam  
mutua successione inter se connexa, euenire ita dicenda fuit, vt præce-  
dens res sit fundamentum vel causa efficiens rei subsequentis. Vnde

O

sequar-

*sequatur, quod conflagratio huini mundi & mutatio celi & terre & resurrectio mortuorum ita eveniam, ut rationem habeant in ipsa rerum, ordine sibi succendentium, connexione.*

Quantum video, nulla exinde contra definitionem mundi Wolfianam difficultas nascitur. Dicitur in illa, quod omnia totius mundi sint inter se connexa, i. e. quod vnum semper rationem sui habeat in alio, at modus connexionis neutiquam determinatur; quamobrem ille ita, vti indoli euentus mundani conueniens est, debet determinari. Si euentus naturalis physicus sit, præcedentia quædam in vniuerso sunt quidem illius causa efficiens, nexusque mechanicus euentuum ibi adseritur. Si vero euentus est miraculosus, causam efficientem ipsum immediate Deum esse, ill. Wolfius docet; quocirca nexus miraculosi euentus cum præcedentibus in eo tantum quærendus est, quod ex præcedentibus occasionem Deus capiat miraculum producendi. Nemo enim, vt inhæream exemplo a Dn. Opponente allegato, tam stultus fuit, qui sibi persuaderet, statum corporis Adami putrefacti, qualis in consummatione sacerduli erit, vel statum aliarum rerum mundanarum rationem effectiuam in se continere illius status, quem idem corpus per resuscitationem obtinebit. At in præsenti rerum humanarum statu aliquid latere, vnde cur fiat olim resuscitatio? cognosci possit, ipse concedit Dn. Opponens. Hæc igitur etiam obiectio inanis est. Et quoniam adeo plane nihil habuit Dn. Opponens, quo hanc definitionem falsitatis conuiceret, falsum est etiam, quod nec in Theologia reuelata r̄sum habeat, nec a Theologis possit admitti.

### §. 98.

*Quid auctor  
responſione  
indignum  
iudicet?* Iam ad me reuersus Dn. Opponens locutionis de mundo præsente, quam adhibueram, interpres fit. Per mundum præsentem nihil aliud me intelligere posse, ait an. 5. p. 107. seq. quam seriem rerum simultanciarum & successuarum, inter se connexarum

rum, presentem, b. e. talem, qualis nunc est. Quid tum? Pergit, inde non effici, presentem mundum ratione materiae & partium, alio modo & ordine connexarum, eternum esse non posse. Quid per mundum præsentem intelligam? dixi in superioribus (§. 97.), neque vlo modo interpretationibus verborum meorum Clugianis vtor, quia quantum iisdem fidei & candoris insit, ex pluribus iam exemplis constat. Et nouum hoc loco adest apertum. Fatetur in seqq. pag. 108. Dn. Opponens, me, de mundo presente verba facientem, non partem mundi sive telluris, sed hoc uniuersum ante oculos habere; at nihilominus absonos & sine omni cogitationum connexione confusissimos sermones de possibili æternitate mundi vel ratione materiae vel ratione alterius cuiusdam status, nobis non satis perspecti, miscet. Quos ego responsione plane indignos esse arbitror. Nam cum clarissimis verbis non tantum hunc mundum in tempore a Deo creatum esse (Th. R. §. 929.), sed nec potuisse ab eterno creari, adseruerim (Th. R. §. 929. Sch. 1.), nil illa ad me attinet, nec quo fine talia Dn. Opponens disputet, datur perspicere. Verum est, quod dicit Wolffius, ab initio mundi qua statum præsentem ad initium mundi qua omnem statum consequentiam non valere. At non ego §. §. cit. Theol. Reu. de statu præsente huius mundi, sed de mundo præsente locutus sum, eique, præunte S. Scriptura, tribui initium; quamobrem inania & otiosa sunt, quæ Dn. Opponens disputat,

## §. 99.

Distinxii autem inter mundum præsentem, i. e. existentem, *An distinctione & aliud, h. e. mere possibilem Th, Reu, §. 929. Sch. 1, Dn. Op-* inter mun-  
ponens omnem banc determinationem inanem & otiosam esse di- dum præsen-  
cit p. 108. Cur? Triplicem is adfert rationem:

1. Qui de æternitate mundi disputant vel actuali vel possibili, non possibles in-  
mundum respiciunt non existentem, sed hunc ipsum, qui ex-  
sistit.

O 2

Quid

Quid inde? An inde sequitur, omnem alium mundum præter præsentem impossibilem esse? Si sequi putas, consequentia est probanda; si non sequitur, salua manet distinctio inter præsentem & alium mundum, neque inanis illa, nec otiosa est. At vereor, ne quid sit distinctio inanis? ignores. Inanis est distinctio, vbi, quorum nullum discrimen est, a se inuicem distinguuntur. Hinc si distinctionem inter mundum præsentem & alios possibles inanem putas, discrimen eorum neges, necesse est. Quo negato, negas possibiliteratem aliorum mundorum, eoque ipso tollis contingentiam præsentis vniuersi, existentia Dei a posteriori demonstrandæ fontem. Id quod vberius explicarem, nisi sola obiectionum solutio h. l. sufficeret.

2. Nec existere quidem potest pro philosophia Wolffiana principiis mundus alius preter præsentem,

Quidni? Ita Dn. Opponens:

Deus mundum producere cupiens elegit omnium optimum perfectissimumque; Quamobrem dum presens mundus, a Deo delectus, initium habet, ille perfectior est mundo illo, qui ab eterno produci potuisse singitur. Fac igitur mundum alium ab eterno produci potuisse, b. e. productionem mundi ab eterno factam non inuolueret contradictionem, tamen ille actu produci non potuit, propterea quod imperfectior futurus fuisse mundus ab eterno productus mundo presente, quem initium babere auctor noster (Carpouius) concedit. Quodsi vero mundus alius a Deo creari & existens reddi non potest, quid disputamus de mundo alio? quid exquirimus, num fieri possit, ut mundus alius ab eterno productus sit?

Fateor, Deum mundum perfectissimum elegisse, ob eamque rationem præsentem, vt electum a Deo, perfectissimum esse; ex quo sequitur, alium quemcunque præsente imperfectiorem futurum fuisse, neque adeo hoc respectu a Deo potuisse eligi & pro-

producit. Sed confundit Dn. Opponens, quæ Deus non possit intuitu sapientiæ, & quæ non possit intuitu potentiaæ ob simplicem rei repugnantiam. Multa sunt, quæ Deus intuitu sapientiæ summa non potest, licet possit intuitu potentiaæ, dum nulla in eis est contradictione. Ita e. g. omnem creaturarum ambitum hoc momento destruere posset Deus intuitu potentiaæ, licet intuitu sapientiæ non possit. Sic præsens se res habet. Sapientiæ summa ratione habita non potuit Deus aliud quemcumque mundum producere, quia hunc fini suo habuit conuenientissimum; at inde neutquam sequitur, Deum pro omnipotencia non potuisse aliud mundum producere, sed omnem aliud mundum simpliciter esse impossibilem. Si igitur sunt alii mundi præter præsentem possibles, quos pro omnipotentia sua Deus creare potuisset, distinctione inter præsentem & aliud mundum neutquam inanis & otiosa est.

*3. apud Dn. Wolffium non minimum inuenies vestigium de mundo alio, non autem de presente.*

Fac, verum hoc esse. Nolo enim iam de quæstione facti, ad me non pertinente, disputare. Vnde probas maiorem:

*Quamcumque Dn. Wolffius non habet distinctionem, illa inanis & otiosa est?*

Et nonne ipse tibi repugnas, modo conformatiōnē Theologiae ad Philosophiam Wolffianam mihi obrudendo, modo dogmata mea ex eo, quod Wolffius dileat, impugnando? Ita tandem quocunque me vertam, habebit Dn. Opponeus, quod pro sapientia transmarina carpat.

### §. 100.

*Mundum presentem non potuisse ab eterno creari, præmissis S. An ex S. Scri. Scripturæ locis evidentibus, ex quibus in tempore illum crea-* ptura de-

*tum esse constat, ita demonstrati Theol. Reu. §. 929. Sch. I. monstran-*

*Vi paucis dicamus, quod res est, etiam si omnipotens, & cum illa connexa vis circandi, Deo ab eterno competierit, mundus ta-* dum fuerit,

*quod mun-*

*dus hic non*

O 3

potuerit cre-  
ari ab eterno?

men presens ab eterno non potuit creari. Namque dum mun-  
dus presens in tempore a Deo est factus, non aliter autem fieri  
a Deo potuit, quam essentia eius conueniens est, essentia eius  
initium existendi inuoluit. Quodsi igitur Deus presentem mun-  
dum voluit creare, non potuit creari nisi in tempore. Nam mun-  
dum, cuius essentia initium existendi inuoluit, creare sine initio  
existendi, b. e. ab eterno, est repugnans, nec hinc obiectum  
omnipotentie diuine. Scilicet si Deus mundum creasset ab eterno,  
non esset presens, qui in tempore factus est, & hinc fieri  
non potuit, ut mundus presens ab eterno crearetur.

Duplici modo hanc demonstrationem Dn. Opponens adgreditur an. 6. p. 109. Nam etiam si Theologiam reuelatam ad Philosophiam Wolffianam me conformasse, dicat clametque singulis fere paginis, iam tamen, vtrum modo rhetorico, an comico, an histrionario? non definiam, saltim per ridiculam κανοζηλίαν  
Dn. Wolffium fingit aduersus me disputantem declamantemque, adeo, vt non Ecclesię Ministrum, Doctorem Theologiae, sed Roscium mimologum audire mihi videar. Respondebo autem ad argumentum, non ad facetum scribendi genus, quod Theologo nostro non inuitus relinquo. Scilicet prætermisfisis, quæ malignitatis animi, Wolffio & mihi contumeliam illaturi, documenta sunt, huc redit res:

*Non ex S. Scriptura, sed ex ratione demonstrandum fuisse, quod Deus mundum presentem creauerit in tempore, & non potuerit ille creari ab eterno.*

Ita Dn. Opponens iterum ex vtraque parte ad reprehendendum, quod non capit, paratus est. Modo in Theologia Reuelata argumenta desiderat Theologica, ex S. Scriptura petita p. 51. 98. 96, vbi licet adhuc actu, talia esse non perspexit (§. 54. 93. 94.). Vbi perspicit, ex eas tuis S. Scripturæ me demonstrasse, demonstrationes, ex rationis principiis petitas, in Theologia Reuelata postulat. At quo iure? Audi ipsum Dn. Opponentem

an. I.

an. I. pag. 51: *In probatione sententiae Theologicae --- desiderantur dicta biblica, sine quibus argumentis rerum Theologicarum nulla est;*  
 Porro p. 98: *Nihil in Theologia Reuelata tradendum est, quin sufficientem e sacris litteris habeat probationem;* denique p. 96: *Argumenta desidero Theologica & e scriptura sacra petita, in Theologie reuelata institutionibus maxime necessaria, & in solida rerum Theologicarum demonstratione nullo modo omittenda.* Iudica quæso, lector, quid tibi de eiusmodi Opponente videatur? An eleganter exspectas singularia? Dic sodes, quid sit in contradictione versari, si hoc non est? Nec tamen primum hoc est contradictionis specimen, nec ultimum.

## §. 101.

Deinde etiam pro sui ingenii tenuitate (verba hæc Dn. Opponentis sunt an. 6. p. 110.), quam sc. ex tot datis speciminibus & contradictionibus lector adhuc satis perspexit, demonstratio- nem meam, quod mundus præsens ab aeterno creari non po- bratum sit?

An idem re-  
 te ab aucto-  
 re demon-  
 stratum sit?

i. me, quod essentia presentis mundi initium existendi inuoluat, probare inde, quoniam Deus eum in tempore creauit; quod autem mundum Deus creauerit in tempore, nec nisi in tempore creare potuerit, id me ex essentia eius, que initium existendi inuoluat, demonstrare; hoc autem esse demonstrare idem per idem.

Ita sc. contra apertam veritatem loquendum erat nostro Theologo! Relegat enim lector librum meum §. 929. & clarissime videbit, me, quod Deus mundum in tempore, non ab aeterno creauerit, tantum ex biblicis testimonis probasse, neutiquam inde, quod essentia eius initium existendi inuoluat. Quin potius essentiam presentis mundi initium existendi inuoluere, exinde deriuui, quia i. præsens mundus in tempore creatus sit

per

per testimonia biblica, 2. nec potuerit aliter creari, quam essentia eius fuerit conueniens; quod constat ex principiis metaphysicis. Sic igitur Dn. Opponens, dum circuli in probando me conuicturus est, se ipsum præmissas & conclusionem confundere, prodit. At porro meam quoque concludendi rationem instantia conatur infringere. Etenim

*2. Quod conclusio, inquit, Dn. Auctoris: mundus in tempore creatus est. E. essentia eius inuoluit initium existendi; parum recte se habeat, inde adparet, quod simili concludendi ratione adfirmare quis possit, ad essentiam huius mundi pertinere tempus vel verno vel autumnale, quo creatus est. Mundus sane factus est a Deo tempore vel verno vel autumnali. Eligas, vitrum velis, per me licet. Atque non aliter fieri a Deo potuit mundus, quam essentia eius conueniens est. E. essentia eius inuoluit creationem tempore vel verno, vel autumnali.*

At quod instantia hæc Dn. Opponentis parum recte se habeat, inde adparet, quod hanc etiam concludendi rationem:

Mundus factus est a Deo tempore vel verno vel autumnali.

Atqui non aliter a Deo fieri potuit mundus, quam essentia eius conueniens est.

Ergo essentia eius inuoluit creationem tempore vel verno vel autumnali

concedam; quamobrem Dn. Opponens ad falsitatem conclusionis demonstrandante obligatus est, quam meam concludendi rationem falsitatis arguat. Hanc autem demonstrationem molitus, ignorarum se esse differentias inter essentiam genericam, specificam & individualem, ostendet. Scilicet quemadmodum eidens est, adiectis in principio mundi huius aliquot annorum myriadibus, non amplius præsentem, sed alium mundum fore, sic eodem modo eidens est, posita alia creationis tempestate constante v. g. vernali, non amplius mundum autumnali tempore creatum, sed alium fore. Alius, inquis, mundus foret ratione durationis, non ratione substantie & essentiae

tie. Vides iam, te confundere essentiam specificam & numericam, Aliud enim ratione durationis subiectum est etiam aliud ratione essentiae numericae; pariter ac Adamus, die sexto creatus, si die tertio creatus fuisset, non esset idem numero Adam, qui die sexto creatus est, adeoque aliam haberet essentiam numericam; & Hiskias, quatuordecim annorum augmentum a Deo accipiens, non erat amplius ille, qui fuisset, si ante illos quatuordecim annos decessisset. Sed ita disputandum est illis, qui mundum pro machina vel horologio habent, & euentus mundi cum essentia eius confundunt. Neque de machina iam sermo est, neque de horologio, neque euentus mundi cum essentia eius confunduntur, sed distinguuntur a se invicem essentia specifica & numerica, quas Dn. Opponens confundit,

## §. 102.

Facta inter mundum praesentem & alium distinctione, demonstratoque, quod mundus praesens non potuerit ab aeterno non decidisse creari, quam nullo modo infringere potuit Dn. Opponens de questione monstracionem (§. 101.), perrexii ita Theol. Reu. §. 929, Sch. I., de aeterna

*Si queras autem: an non Deus alium quendam mundum creare mundi cuiusmodi, qui nullum initium existendi habeat, sit possibilis? insdam creatione posse, an finitum est, potest etiam mundum ab aeterno creare, si mundus ab aeterno creabilis ex numero possibilium est?* Quoniam autem huius questionis (puta: an mundus eiusmodi, qui nullum initium existendi habeat, sit possibilis?) deciso in se spinosissima & curiosa magis, quam utilis est, nec ad tractationem nostram quidquam consert, adquiescimus in eo, quod Deus hunc mundum creaverit in tempore, nec ille potuerit ab aeterno creari,

quibus præmissis, verba Cel. Reinbeckii de neganda possibili creatione ab aeterno adlegau. Ad hæc Dn. Opponens progre-

P

ditur

ditur anim. 7. p. iii. singulare in eo quærens, quod lectorem dubium atque suffusum relinquam. Sic mihi non licuit, in Theologia Reuelata de quæstione, quæ non theologica sed philosophica considerationis est, quæque cum fidei fundamento nullum nexum habet, iudicium suspendere? Annon tutius est tacere, quam præcipitare iudicium? Vbi, quæso, in Logica necessitas imponitur, de re difficii, & ad institutum non pertinente, sententiam dicendi? Habeo in hac causa, quod nullam quæstionis decisionem dederim, præeuntem ill. Bülfingerum in Dilucid. Philos. §. 192, ita scribentem: *An mundus potuerit creari ab eterno?* id neque assuerare auffm, neque negare. -- Dum inter utramque partem ambigo, nihil possum aut assertere definite, aut negare; ego quidem: si enim oculatores alii fuerint; nihil repugnabo; quin potius gaudebo demonstrationibus eorum, (sed distincte euolutis, & plene exhibitis), maxime si negationem enuntiant, scil. non posse mundum creari ab eterno. At obiicis, celebrem, me iudice (§. 96.), questionem esse. Quid inde? Ipse Dn. Opponens in superioribus an. 4. p. 100. magna cum confidentia eorum verba excitauit, qui quæstionem: an mundus præfens ab eterno creari potuerit? indignam responsione iudicarunt. Quanto magis mihi licebit, illo negato, quæstionem: an mundus ab eterno creabilis alias quicunque e numero possibilium sit? & quæ inde sequitur: an Deus talem ab eterno potuerit creare? sine decisione relinquere? Deinde ipse Dn. Opponens quæstionem illam pro philosophica se habere, non obscure prodit, credens philosophos nostræ ætatis illa sibi non parum placere, & nihilominus in Theologia Reuelata tractatione eius decisionem postulat; etiam si illam in se inutilem & otiosam esse fateatur. Quomodo hæc cohærent? Annon igitur, relicto licet philosophorum nostræ ætatis (si fabula vera est) more, satius erat, utilioribus operam impendere, quam rebus in se inutilibus? At Momus nil rectum iudicat, nisi quod facit ipse. Denique si

*spino-*

*spinosa* non est Dn. Opponenti hæc quæstio, fero id non ini-  
quus, modo ipse solida & neruosa, non superficiaria proponat  
argumenta.

## §. 103.

Enim vero vt ζηλωσθεται επιγνωσια vel ad καρδιογνωσιας stu- *An de illa*  
dium hominem impelli posse, cernamus, sententiam meam de *questione*  
æterna creatione actuali vel possibili coniectando iam adfec- *Dn. Oppo-*  
turus est Dn, Opponens an. 7. pag. 112. Inanis hic labor est, *nens recte*  
Sententiam enim clare professus sum: *Dum omne possibile Deus autoris*  
*pro omnipotencia sua facere potest, potest etiam mundum ab eterno* *mentem con-*  
*creare, si mundus ab eterno creabilis ex numero possibilium est sectetus sit?* *lectura ad-*  
*Theol. Reu. §. 929. Sch. 1. Quid postulas amplius? Vtrum*  
*ex mea sententia mundus quidam ab æterno creabilis ex nu-*  
*mero possibilium sit? Sed non est hæc mei iudicij res. Cur ita?*  
Audias, quæsto: Noui, omne, quod in se contradictionem in-  
vuluit, non esse omnipotentia diuinæ obiectum Theol. Reu.  
§. 657. At noui hoc etiam, longe plura Deum facere posse,  
quam nos capimus aut intelligimus Eph. III, 20. Nolo igitur,  
obiectum aliquod omnipotentia diuinæ denegare, quam diu  
contradictio eiusdem nondum certa & explorata est, ne in di-  
uinam maiestatem reddar iniurius. An in hoc pecco? Annon  
satius fuit, contradictione mundi cuiusdam ab æterno creabilis  
nondum ad liquidum deducta, sententiam suspendere, quam  
iudicio temerario diuinam restringere omnipotentiam & re-  
stringendo infinitatem eius negare? Restringis autem, negando,  
quod Deus possit mundum aliquem ab æterno creare, si con-  
tradiccio nondum est explorata. E contrario inania sunt omnia,  
quæ Dn. Opponens ad augurandam sententiam meam in me-  
dium attulit. *Cur enim inter presentem & alium mundum di-*  
*stinxerim, ratio hæc est, quia nisi possibilitas aliorum mundo-*  
*rum concedatur, tollitur praesentis mundi contingentia (§. 99.).*

Vtrum præter Dn. Reinbeckium alios Theologos allegare voluerim

*in Theol. Reu. §. 929. Sch. 1, nec ne? in eo nulla mihi necessitas erat imposta. Meditationem Cel. Reinbeckii dum ingeniosam vocau, feci id secundum veritatem; veritas illius eo ipso nec adfirmatur nec negatur, relinquitur lectori examinanda. Dum confirmare studui, argumentum pro Diuinitate filii Dei, ab eternitate eius petitum, adsumpta probataque eternitate mundi possibili, minime infringi Theol. Reu. §. 929. Sch. 2, sane id non in damnum, sed commodum Theologiarum eorumque Theologorum, qui ab aeterno creabilem mundum possibilem statuunt, factum est, neque adeo est, cur Dn. Opponens de hoc conatu conqueratur. Quid igitur tam ineptis argumentis lector, ad me in suspicionem erroris adducendum, turbatur & confunditur?*

§. 104.

*An ex diuina ratione sententia mea eruenda, pura, quod mundus aliquis ab aeterno creabilis ex numero possibilium sit, eximi posse, gloriatitur. Quodnam est illud? Theol. Reu. §. 510, eternum in genere vocans, quod nec principium nec finem durationis habet, distinxii inter eternitatem fixam & successuam, illam vocans, quam sine omni successione, hanc, qua cum perpetuis successionibus est, prouti e. g. anima humana a parte post (vt loquuntur) aeterna est per eternitatem successuam; Deus a parte ante & post aeternus per eternitatem fixam. In qua re si de terminis haeret Dn. Opponens, non esse me primum illorum inuentorem, doceret Cel. Mosheim in Adnotat. ad Cudworthi Systema intellectuale p. 779. seqq. At longe grauiorem ex innoxia hac eternitatis diuisione inculpationem, quam somniando vix adscutus fuisses, extorquet. Quam?*

*Omnis, inquit, diuisio fundamentum habeat in re necesse est, nec potest eternitas quedam fixa statui, quedam successua, nisi vere adsit subiectum, cui & fixa conueniat & successua. Ego quidem omisis aliis ad sententiam Dn. auctoris inuestigandam ita argumentor; aut datur*

datur aeternitas successiva, aut non datur. Si non datur, inanis est diuisio aeternitatis Carponiana. E. datur. Atque non aliam ob causam datur, quam quod mundus successive vel actu aeternus sit, vel aeternus esse posse. E. Dn. Carponius aeternitatem successivam dari affirms, statuat necesse est, mundum successive vel actu aeternum esse, vel esse posse. Quod satis est ad mentem Dn. auctoris perspiciem.

Vt cum Dn. Opponente lector vanitatem argumenti perspiciat, formabo aliud simile. Nota est controuersia inter Ecclesias Lutheranæ & Reformatae socios, vtrum gratia Dei miserans vniuersalis an particularis sit? In qua doctrina si Dn. Opponens docendo forte versaretur, nisi in obscuritate sibi placeat, non potest non explicare, quid gratiam miserantem vniuersalem? quid particularē vocet? quo ipso gratiam miserantem diuidit in vniuersalem & particularē. Hic igitur simili modo ipsi opponere licebit:

Omnis diuisio fundamentum habeat in re, necesse est, nec potest gratiæ miserantis quædam vniuersalitas statui, quædam particularitas, nisi vere adsit subiectum, cui & vniuersalitas conueniat & particularitas illa. Aut igitur datur gratia miserans particularis, aut non datur. Si non datur, inanis est diuisio Clugiana gratiæ miserantij. Ergo datur. Atqui non aliam ob causam datur, quam quod Deus quorundam tantum hominum fuerit misertus. Ergo Dn. Clugius gratiæ miserantis particularitatem dari adffirms, statuat necesse est, Deum quorundam tantum hominum, non omnium fuisse misertum. Quod satis est ad mentem Dn. Clugii in hac doctrina perspiciendam.

Videat Dn. Opponens, quid hic responsurus sit? Idem enim ipsi erit responsum, Si dicat, diuisiōem gratiæ miserantis in vniuersalem & particularē eo tantum consilio datam esse, ne-

terminus obscurus sit, vt intelligatur de quo disputetur, vt opposita iuxta se posita melius elucescant; datam esse gratiae misericordiae particularis definitionem non animo eam adserendi, vt veram, sed explicandi mentem eorum, qui eam defendunt, datam esse sub hypothesi licet falsa, scil. quod, si detur (licet non detur actu), ita intelligenda sit; si queratur de iniuritate opposentis, qui ex mera diuisione notionum Logica extorqueat errorem grauem, extortumque obtrudat nil tale sententi vel cogitanti; si, posito eiusmodi fraudulentio disputandi modo, neminem ab erroribus immunem fore arbitretur: omne id a me habeat responsum, discatque adeo maiori cum soliditate & aequitate controversiam agitare. Ceterum ex hac ipsa responsione simul intelliger Dn. Opponens, vtrum iure an iniuria distinctionem eternitatis in fixam & successuam ad sententias Wolffianas referat an. 8. p. 113. Vt taceam enim, quod dudum ante Wolffium Theologi aduersus Socinianos, successuam Deo eternitatem tribuentes disputauerint adeoque fixam adseruerint eternitatem Dei, nosse velim, cur id falsum sit quod dicit Wolffius? Si non est falsum, cur mihi crimen est, Wolffium idem docere? Cur non & Dei exsistentiam ad sententias Wolffianas refers, & mihi consensum vitio vertis? Nam eam etiam docet hic tibi tam suspectus & inuisus philosophus.

## §. 105.

*Ad que aut  
tor non re-  
pondeat?*

Iam sequitur ingens Dn. Opponentis per sedecim protracta paginas disputatio non contra me, sed Ill. Wolffium, quod ipse Opponens anim. 8. p. 113. constitutur. Duo enim sibi an. 9. p. 113. pertractanda sumit: 1. Num ex ratione solide demonstrari possit, mundum cepisse? quod Dn. Wolffius, Thomam secutus, neget; 2. Num id hactenus a quoquam ex principiis rationis publicae demonstratum sit? quod Dn. Wolffius pariter neget, saltem professus, neminem sibi, qui fecerit, notum esse. At quamvis essent quedam hic monenda, tamen quia tota haec disputatio

tatio ad infringenda Theologiae meae dogmata non pertinet,  
tutus eadem prætereo.

## §. 106.

Vocaueram autem quæstionem: an mundus ab æterno creabilis ex numero possibilium sit? spinosam Theol. Reu. §. 926. ponens im-Sch. 1; cui se opponens Dn. Dissentiens: *Non est tam spina*sa, *Possibilita-*  
*inquit, quin facili opera extricari & ad liquidum perduciri posse;* *tem creatio-*  
*an. 7. p. 112. Fecit huius rei periculum an. 18. p. 129. vbi crea-*  
*tionem mundi æternam contradictionem inuoluere, quatuor*  
*argumentis suffulturus est. Evidet dum meas res agens,*  
*nemini dicam scribo, silendo ea præterissim, quia creatio-*  
*nem mundi æternam possibilem non adsero nec adserui, ne-*  
*que adeo sunt mili illa opposita. Ut videat autem Dn. Op-*  
*ponens, spinosorem quæstionem esse, quam ipsi videtur, si*  
*mulque cognoscat lector, contradictionem mundi ab æterno*  
*creabilis nondum ad liquidum deductam esse, quod supra ad-*  
*serui, de possibilitate æternæ creationis eandem ob causam*  
*sententiam suspendens (§. 103.): quid defensores possibilis*  
*creationis æternæ excipere possint, ostendam paucis non ani-*  
*mo, possibilem creationem ab æterno defendendi, quam non*  
*defendo, sed ostendendi, superficialem non solidam Dn. Op-*  
*ponentis tractationem esse, solidam licet neruofasque postulan-*  
*tis p. 112. Dicit*

I. *Productio rei extra essentiam diuinam initium existendi innuit,*  
*quod repugnat æternitat. Æternum enim semper est, nunquam*  
*autem esse vel fieri incipit, quod tamen indoles creationis re-*  
*quirit.*

Excipient hic dissentientes, probationem hanc nil nisi petitio-nem principii esse. De eo enim est quæstio, an productio rei extra essentiam diuinam semper initium existendi inuolat? & annon potius creatio quædam ab æterno posit est? Cum igitur Dn. Opponens ut exploratum adsumat, indolem creatio-nis

nis requirere, vt res habeat initium existendi, agit probando,  
vt probet nihil.

2. Per eterni mundi possibilitatem creatio e nihilo adfirmatur &  
negatur. Dum enim mundum creatum esse dicis, eum signifi-  
cas antea non fuisse. Sed dum ab eterno creari posse concipis,  
eum ita esse posse putas, vt nunquam non fuerit.

Ex sententia dissentientium consequentia hæc absuna non se-  
quitur. Distinguunt enim inter id, quod nihil est respectu  
durationis vel temporis præcedentis, & id quod nihil est qua  
esse proprium essentialis, qua ratione per eterni mundi possi-  
bilitatem creatio e nihilo non adfirmatur & negatur. Nam  
etiam si mundi ab eterno creabilis possibilitate posita, non lo-  
cum habeat creatio e nihilo qua durationem vel tempus præ-  
cedens, habet tamen locum creatio e nihilo qua esse rei pro-  
prium. Quo sensu non solum inter creationem cum nouitate  
essendi & sine nouitate essendi distinguunt, sed etiam crea-  
tionem ab eterno vel sine nouitate essendi factam veram crea-  
tionem esse ostendunt Paulus Sleuogt in Diss. 2. de Creat. in ge-  
nere & ill. Bulsinger in Dilucid. Philos. §. 190. seqq.

3. Posita eterna mundi creatione contingentia eius & negatur  
& affirmatur. Contingens est mundus, quia creatus, non  
contingens sed necessarius, quia propter eternitatem, quam ti-  
bi fingis, ita est, vt non posit non esse.

Hoc etiam negabunt dissentientes, adserentesque, creationem  
ab eterno factam & contingentiam mundi non destruere se  
inuicem, quia creationem eternam non necessariam sed libe-  
ram ex parte Dei statuant ; quamobrem mundus, licet ab  
eterno creatus (non loquor de præsente), pariter esse & non  
esse posit, ac Deus potuerit ab eterno creare & non creare.  
At quod non esse æque ac esse potest, dicitur contingens. Et  
quamuis Wolffius Dn. Opponenti docere dicatur, quod omne  
eternum necessarium sit pariter ac omne necessarium, ipso iudice,

altero

aeternum est, oppono tamen clarissima illius verba Met. §. 39.  
Was nothwendig ist, ist auch ewig = Es lässt sich aber  
dieser Satz nicht umkehren. Denn die Nothwendigkeit  
hat einen andern Grund, als die Ewigkeit.

4. Per aeternam mundi productionem mundus constituitur effectus potentiae libertatis & sapientiae, & non constituitur. In productione mundi potentiam libertatem & sapientiam creatoris una mecum agnoscis. Sed aeternorum nulla est potentia, nulla sapientia, nulla voluntas.

Negabunt hic Dissentientes, per aeternam creationem mundum non constitui effectum potentiae, libertatis & sapientiae Divinæ. Quia enim mundus, licet ab aeterno productus, a Deo tamen productus est, manet effectus potentiae. Nam quatenus Deus possibile existens reddit, omnipotentia ei adsignatur (Theol. Reu. §. 653. seq.). Quia mundus, licet ab aeterno productus, potuisse tam non produci (ita enim docent, qui aeternam creationem possibilem statuunt), manet effectus libertatis, Libertatis enim est, ut agere, sic etiam non agere posse. Quia mundus, licet ab aeterno productus, productus est tamen propter finem gloria diuinæ, manet effectus sapientiae. Pro sapientia enim summa Deus media finibus obtainendis subordinat Theol. Reu. §. 642. seq. Vnde nulla est, quam Dn. Openens singit, contradiccio. At, inquis, voluntas absque delectu & libertate nulla est, quin potius ea consultationem supponit, & omne opus præcedit ratio, id quod a Lactantio iam olim fuit agnum. De diuinis humano modo iudicas. In homine, quia ens infinitum, ob eamque rationem successio statuum in illo est, decreta voluntatis præcedit deliberatio & consultatio rationis. Non ita in Deo se res habet. Is, quia ens infinitum & nullis vicis studiis obnoxium est, non deliberat antequam decernat, sed consultatio rationis diuinæ & decreta voluntatis sunt in ipso simul. Quod si negas, qui potes aeternitatem decreto-

Q

rum

rum diuinorum defendere, quam concessisti p. 99? Ego si in erroribus obtrudendis par pari Dn. Opponenti referre vellem, facile hic possem concludere; Dn. Opponens, voluntatem de mundo creando præcedere in Deo debere, dicit, deliberationem. Ergo statuit in Deo mutations sibi inuicem succedentes. Ergo statuit Deum mutabilem, Ergo aduersatur S. Scripturæ, & talem nobis Deum obtrudit, qui vere Deus non est. Nulla enim est harum consequentiarum, quam, posito principio isthoc, negare queat. Sed abstinent me ab errorum obtrusione, velim tantum, ut æquius & moderatius disputare discat.

*5. Admissa eterni mundi possibilitate dicendum est fieri quoque posse, ut sit progressus causarum in infinitum.* Sane ipsa philosophia omnem successionem in tempore, non ab eterno esse docens indicat simul, in exquirendis rerum causis tandem in primo aliquo subsistendum esse, licet per intellectus nostri imbecillitatem, vel alius de causis definiri nequeat, quodnam primum illud sit, unde initium rerum sibi succendentium repetendum.

Exciplent hic quoque Dissidentes, se, admissa eterni mundi possibilitate, tamen in primo aliquo, puta Deo, mundi licet æterni causa, subsistere; & in eo tantum differentiam esse, quod Dn. Opponens etiam primum aliquid in mundo constituat, cum ipsis adquiescant in primo extramundano, Deo, donec in ipso mundo etiam primum aliquid constituendum esse, legitimate demonstretur. Nil igitur in his omnibus Dn. Opponens, quo impossibilitas creationis ab æterno recte demonstrata fuisset, attulit; unde cognoscet, difficiliorum quæstionem esse, quam primo aspectu ipsis videbatur, cessabitque, si prudens est, me inculpare, quod de quæstione difficili iudicium suspendere, quam præcipitare maluerim. Et quia Dn. Opponentem primaria, non leuiora pro sua sententia argumenta ex aliis auctoribus hausisse & coaceruasse arbitror, quid reliquis respondeatur, simul

exin-

exinde cognoscet, Reliqua, aduersus Dn. Canzium & Wolffium disputata, ad me non attinent.

## §. 107.

An. 19. p. 131. Dn. Opponens redit ad meam aeternitatis divisionem, dum vel fixam vel successiuam esse dixi (§. 104.), reperitam examinandam ex instituto. Sed non est, cur noui quid & ab animaduero, quod supra proposuit (§. 104.), diuersum exspectes. Dicit enim:

*Sicut eiusmodi subiectum, quod infinitis mutationibus obnoxium est (adeoque habet in se aeternitatem successiuam), non datur (hoc concedo), nec dari potest (hoc non recte probauit Dn. Opponens): ita haec aeternitatis divisio (in fixam & successiuam) omni destituitur fundamento.*

Nego argumenti huius consequentiam, & recte me negare, satius dilucide in superioribus ostendi (§. 104.). Ex quibus simul patet, non illos circulum committere, qui aeternitatem in fixam & successiuam diuidunt, sed Dn. Opponentem petitionis principii reum esse, dum impossibilitatem creationis ab aeterno sibi demonstrandam sumpsit (§. 106. n. 1.). *Quod autem aeternitas extrinseca cum aeternitate successiva, quam ego vocaui, nullum commercium habeat, id aequo non destruit illam aeternitatis divisionem, ac Dn. Opponentem alias consentientes habere, nil ad rem facit.*

## §. 108.

*De numero Theologorum, possibilem creationem ab aeterno defensionem vel negantium, de quo Dn. Opponens an. 20. p. 132. agit, collecta suffi-  
non ego disitulo; nec quidquam ad me facit, vtrum Athanasius fragia eru-  
eam adseruerit, an negaverit? quod est argumentum an. 21. p.  
133. Veritatem enim qui ex numero suffragiorum aestimat, Lo-  
gicae precepera ignorat. Idem respondeo ad collecta an. 22. p.  
135. suffragia eorum, qui possibilem mundi creationem ab aeterno*

Q2

exst.

existentie Dei aduersus atheos demonstranda obesse, adfirmant vel negant. Adfirmantibus autem oppono verba Ill, Bülfingeri in Diluc. Phil. §. 191. seqq.

## §. 109.

*An posita creatione ab eterno possibili Diuinitas filii Dei possit ex aeternitate eius demonstrari?*

Etiam si possibilem creationem ab aeterno non defendam, & quæstionem vltiori examini relinquere, turius esse putarim (§. 102. & Theol. Reu. §. 929. Sch. 1.), in gratiam tamen Theologorum, qui illam statuunt, tetigi Th. Reu. §. 929. Sch. 2. quæstionem: *an, creatione mundi ab aeterno possibili adserita, argumentum pro filii Dei Diuinitate, ab aeternitate eius desumptum, subvertatur vel infringatur?* Respondi negando & probationis loco excitavi verba Slevogti, qui duplii arguento negatiuam defendit; tertiam subiiciens rationem, ab aeternitate fixa, Hebr. I, 4. 8. seqq. filio Dei, vbi Diuinitas eius probanda erat, tributa, desumptam. Verba mea se habent ita:

*His rationibus eius (Slevogti) adiungimus tertiam. Scilicet dum apostolus Hebr. I, 4. 8. seqq. Diuinitatem filii ex aeternitate eius probaturus est, non loquitur de aeternitate simpliciter tantum, sed fixam ei aeternitatem tribuit v. 11. 12. hanc adsumens maiorem: cuicunque competit aeternitas fixa i. e. talis, que sine omni successione & variatione statuum est, ille est verus Deus; sub qua, filio Dei eandem competere, subsumens, cum verum Deum esse concludit. At vero etiam si Deus mundum ab aeterno creasset, non tamen aeternitas fixa, sed successiva, continua in eodem rerum successionibus obuenientibus, ei esset tribuenda.*

Duo hic habet Dn. Opponens an. 23. p. 137, contrariam sententiam defendens, quæ excipiat. Nam

1. *me, tertiam adiacentem rationem, eamque a discrimine aeternitatis fixe & successiva petitam, Slevogtum non intellexisse, dicit, siquidem aeternitas extrinseca huius nihil aliud sit, quam aeternitas a me dicta successiva.*

Videa-

Videamus, quam bene hæc cohærent! Slevogtius *eternum ab extrinseco dicit, quod licet ab eterno sit, non repugnante tamen natura eius, sicut potuisse in tempore fieri, ita quoque in tempore desinere possit.* vid. locum cit. Theol. Reu. §. 929. Sch. 2. Ego vero *successive eternum dixi, eternum, quod cum perpetuis successionibus est* Theol. Reu. §. 510. Quodsi igitur Slevogti *æternitas extrinseca & mea successiva sunt idem, quod Dn. Opponens vult, definitio- nibus inter se conueniant necesse est.* Sed hoc ad calendas Græcas ostendet Dn. Opponens. Tantum igitur abest, ut pro veritate Slevogtum a me non intellectum esse, dicat Dn. Opponens, ut se ipsum non intelligat. Nam an. 19. p. 122. dixit, *æternitatem ex- trinsecam cum mea æternitate successiva nullum commercium ha- bere.* Qui igitur iam fieri potest, ut *æternitas extrinseca sit ni- bil aliud, quam illa, qua successiva a me vocata fuit?* Hæc sibi nonne contradicunt? At

2. concessa creatione ab æterno possibili, argumentum pro Diuinitate filii Dei, ab æternitate petitum elumbe reddi, Dn. Opponens probaturus est. Scilicet

*Deus dicitur, inquit, primus & nouissimus, quia fuit cum ni- bil esset, eritque, si omnia esse desierint, & hac ipsa duratione tanquam nota & proprietate quadam a rebus omnibus discri- minetur Ps. XC. 2. Rom. XVI, 26. Ps. CII, 28. Quod si itaque de- monstratum fuerit, filium Dei nec initium nec finem habere, di- uinitas eius simul probata est. Fac autem, dari posse aliquid, quod itidem principii atque finis expers sit, nonne ipsa probandæ ratio vim suam amittit?*

Videtur amittere Dn. Opponenti, non amittit. Quod per syl- logismum ostendam. Quia solus Deus per S. Scripturam æter- nus est, sequitur inde :

*Quicunque est æternus, est verus Deus.*

Subsumo :

*Cou 2*

*Q. 3*

*Filius*

Filius Dei est æternus per loca S. Scripturæ,  
& concludo :

Ergo Filius Dei est verus Deus.  
Enim vero posita creatione mundi ab æterno possibili, sub ma-

iore dicta subsumendum esset:

Mundus potest esse æternus.

Si igitur concludas:

Ergo mundus est verus Deus,  
non est cur falsitatem conclusionis mireris, quia Syllogismus  
quaternione terminorum laborat. Mutata autem maiore, &  
ita expressa:

Quidquid potest esse æternum, est verus Deus,  
si subsumas concludasque:

Mundus potest esse æternus

Ergo mundus est verus Deus,  
negatur, veritatem eius ex locis, in quibus soli Deo æternitas,  
puta actualis, tribuitur, elucescere. Denique si retenta maiore  
priore:

Quidquid est æternum, est verus Deus,  
minorem ita enuncies, concludasque:

Mundus est æternus. Ergo mundus est verus Deus,  
minor non solum hypothesi de possibili tantum mundi æternitate  
aduersa, sed etiam falsa est. Saluum igitur manet argumentum,  
pro filii Dei diuinitate ab æternitate eius desumptum, etiamsi  
possibilem mundi ab æterno creationem defendas, & vel ad so-  
lam æternitatem filii Dei in se respicias. Quamobrem falso  
dicit Dn. Opponens, istam probandi rationem vim suam amittere.  
Fac autem, quod tamen non conceditur, per possibilem mundi  
ab æterno creationem argumentum, pro Deitate filii ex æter-  
nitate in se petitum, vim amittere, fixam non successivam æter-  
nitatem Paulus Hebr. I, 8. seqq. clarissime tribuit Dei filio, ex  
qua Diuinitas eius vera potest demonstrari, vid. Theol. Reu.  
§. 929. Sch. 2.

§. 110.

## §. II.

De cetero moneo, Cel. Wolffium docentem, quod e sola contingentia mundi existentia Numinis firmissime demonstrari queat, non ea id mente facere, quod aeternitas mundi vel atheo concedenda, vel supponenda sit, sed hac, quod e sola contingentia vniuersi consideratione existentia Dei, etiamque questione de aeternitate mundi vel actuali vel possibili maneat in suspense, posit demonstrari. Et quam egregie hoc dictum sit, ipse Dn. Opponens, perspecta argumentorum suorum infirmitate pro impossibilitate creationis ab aeterno (§. 106.), agnoscat. Cum enim non potuerit adhuc impossibilitatem mundi ab aeterno creabilis ostendere, sane si contingentia mundi ex eo, quod initio gaudeat, penderet, nec contingentia mundi ipsi salua esset, ob eamque rationem nihil, quo existentiam Dei a posteriori ostenderet, supererisset. Sed de illis h. l. non est disputandum. Sufficit, me ostendisse, quod nihil Dn. Opponens proposuerit, ex quo sententiam de possibili creatione mundi ab aeterno in Theologicis non adserendam (at ego nec adserui), sed reiiciendam esse, legitime sequatur.

## §. III.

Iam Dn. Opponens ad caput VI. progreditur. At quia in principio eius pergit aduersus mea de creatione dogmata disputatione, hoc loco ad eadem simul respondere placet. Videbimus autem de singulis scorsim. Moses, sex dierum spatium totum vniuersum a Deo creatum esse, narrat Gen. I, II, Ex, XX, II. XXXI, 17. Demonstraui hinc regularum hermeneutarum subsidio, tales hos dies fuisse, quorum quilibet spatium 24. horarum comprehendat Theol. Reu. §. 931. 941. Ipse Dn. Opponens, non contempnenda esse mea argumenta, concedit pag. 140; at nihilominus id ipsi offensioni est an. I, p. 139. Cur? Cartesius ita sensit. Non inquiro in facti huius veritatem. At si verum est, quid hoc

hoc ad rem? An ideo quid falsum est, quia Cartesius pronunciat? At Theologi etiam contrarium docuerunt. Non pendo ex auctoritate humana. Diuinam exosculor. Ostendas igitur ex S. Scriptura, dies illos creationis sex non esse ita intelligentes, ut quilibet spacio temporis 24. horarum fuerit aequalis. At Grapius & Buddeus aliter sentiunt. Nihil hoc ad me. Argumentis cedo non auctoritatibus, & neuter sententiam firmis argumentis euicit. Et quid multis? Ipse Dn. Opponens pag. 140, *argumenta mea non contemnenda* vocat. Aut igitur Dn. Opponens sententiae meae cedit, aut non. Si cedit, cur disputat? Si non cedit, contemnit argumenta, quæ ipse non contemnenda esse iudicat, adeoque sibi ipse deno est aduersus, indignus autem, cui respondeatur.

## §. II2.

*Iniquitas  
Dn. Oppo-  
nenis in  
mutilata ei-  
tatione.*

Quum igitur certum maneat, quemlibet creationis diem spatium temporis viginti quatuor horarum complecti, adeoque Deum successive creaturas produxisse, quaestio oritur, *cur non instanti?* De hac disputans Theol. Reu. §. 93. Sch. 2. enarravit primum rationes, ab Hollazio collectas, subiunxique hac verba: quibus forte addendum est, quod Deus in ipsa creatione miraculosa viam naturalem, ubi & quantum fieri potuit, voluerit adhibere. Naturalia enim successive fieri, ex principio rationis in confessio est. Dn. Opponens, ut nouum iniquitatis specimen edat, omisso limitatione, quam ego addidi: *vbi & quantum fieri potuit*, hinc mihi simpliciter obtrudit sententiam: *Deum sex dierum spatium creationi impendisse*, cum in finem, ut tempus sufficeret tot tantae que motis & pulchritudinis operibus per leges motus via naturali producendis, prouti eandem iniquitatem repetit pag. 147. & 151. obtrudens mihi, quod doceam sine limitatione: *Deum in creando viam naturalem adbibuisse*. Ita scilicet, candide disputatur, si omisso propositionis restrictione alienus ei & sinister sensus, & confessim auctori error obtruditur. Sed quia non in me error, sed

Sed in Dn. Opponente iniquitas est, iudicet, vtrum ego ad libri,  
an ipse ad mentis emendationem obligetur?

## §. 113.

In explicandis operibus hexaëmeri Mosaici principiis ratio- *An in expli-*  
*cationis rector & speciatim physicis interdum usus sum, quo tota canticis crea-*  
*tionis historia maiori luce perfusa, captui, quoad fieri po-*  
*tent, accommodatior redderetur. Loca ipse selector Theol. Reu.*  
§. 933. seqq. euoluet relegatur. Dn. Opponenti neque hoc  
ad palatum est. At quamvis facile patiar, in intelligenda crea- *bus principi-*  
tionis historia ipsum omnem rationis sanæ usum eierare & de- *pia physice*  
tessari, parum sollicitus, quid iste agat, sentiatur, ad mihi ta- *possint adbi-*  
men obiecta breuiter strictius respondendum est. Oppo- *beri?*  
nit an. I. p. 140.

1. modum & ordinem creationis omni ex parte ex reuelatione pen-  
dere; quasmobrem opera creationis secundum principia Physics  
explicari nequeant.

Modus & ordo creationis non pendent ex reuelatione. An  
Deus in principio ita nec aliter creavit, quia post duos mille-  
narios Moses ita nec aliter descripsit? An Deus modum &  
ordinem creationis descriptioni Mosaica longe recentiori ac-  
commodeauit? Annon potius ita nec aliter diuino spiritu actus  
Moses descripsit, quia ita nec aliter opus creationis a Deo ge-  
stum erat? Reuelatio igitur pendet ex modo & ordine creatio-  
nis. At, inquis, cognitio modi & ordinis in creatione pendet  
ex reuelatione. Bene. Sed noua hic confessim oritur quæstio:  
quomodo reuelatio rite intelligenda sit, ne monstra phantasie  
inania sapientissimo scriptori obtrudamus? Atque hic princi-  
pia & dogmata rationis sana explorata suppetias ferre, & in ge-  
nuino sensu indagando monstrosis phantasie imaginibus præfe-  
rendas esse, adsero. At instat Dn. Opponens

2. principia Physics innituntur in viribus nature iam institute.  
Sed per creationem hec ipse vires in naturam ingenerate sunt.

R

Ergo

Ergo si vera est sententia Dn. Carponii, in creatione natura habuit iam vires suas & non habuit. Habuit, dum secundum illas in producendis creaturis opus suum fecit. Non habuit, dum per creationem easdem demum accepit.

Haberent hæc aliquod momentum, si opus creationis omnino secundum leges motus naturalis factum esse docerem, quod non fit. Addidi enim Theol. Reu. §. 931. Sch. 2, limitationem: *vbi & quantum fieri potuit.* Hoc autem potuit fieri, ut corpus aliquod mundi sive totale sive partiale, die quadam creationis præcedente iam debite a Deo constitutum, diebus creationis sequentibus pro vi sua naturali ageret. Ita e. g. dum sol a Deo factus & constitutus est die quarto, an die quinto sextoque eum vi sua naturali tellurem illuminasse, an iisdem diebus illum corpora terrestria calefecisse, dubitas, etiamsi die quinto sextoque opus creationis nondum fuerit absolutum? Fateor igitur, quodlibet mundi corpus per creationem vim suam actiuam accepisse, sed defendeo etiam, quod simulac constitutum & ordinatum a Deo erat, per vires suas naturales modo naturali egredit; quamobrem cessat denuo, quam Dn. Opponens exsculpturus est, repugnantia. In quam sententiam meam nisi descendas, adserendum tibi est, quod e. g. sol quidem die quarto a Deo creatus sit, at die quinto & sexto nec lumine, nec calore terram refecerit, cum die septimo autem demum utramque in terram efficaciam exserere ceperit. Quam ne vel aniculae risu sententiam excipient, vereor. Nulla enim est ratio, cur tempore interiecto efficacia solis debuerit cessare. Atque ex his nemo non perspicit, quo sensu ea, quæ Moses de creationis operibus enarrat, ad res S. Scriptura physicas referri possint. Similiter per ea, quæ iam responsa dedi, lectoris iudicium esto, quo iure Dn. Opponens auctoritate Cel. Reinbeckii abreptum me esse, garriat. Nam quamvis magnum hunc Theologum hoc loco defendere nec mihi animus, nec necesse sit, auctoritate tamen illius

illius mihi ad dogmata mea tuenda opus haud esse, si velit, perspicet. Interea Cel. Wiedeburgii Matthesin biblicam in opere creationis explicando ante expugnet velim Dn. Opponens, quam meæ dicam scribat Theologia.

## §. II4.

Restat de creatione ultimum an. 2. p. 143. Scilicet Theol. *Reffonsio ad Reu. §. 933.* locum Paulinum Hebr. XI, 3, quo apostolus *μη ἐν οἰδήσεσιν τὸ βλέπειν γεγονότα* testatur, ita explicui, ut particularum materiæ ob summam subtilitatem inuisibilium, modo a Deo productarum, coordinationem vel coagmentationem indicet; cuius explicationis rationes lector l.c. relegeat. Dn. Opponens ob explicationem hanc *deprauationis istius loci* me insimulat. Non intelligit autem, quid deprauatio vel corruptio S. Scripturæ sit. Deprauat vel corruptit S. Scripturam, qui pro lectioне genuina, h. e. ab ipsis scriptoribus sacris profecta, alienam substituit & textui S. obrudit Theol. Reu. §. 271. Vbi ego hoc feci? De explicatione, vel genuino sensu loci inueniendo disputatio est, in quo Dn. Opponens a me dissentit. Calumnia igitur est, quod de loci deprauatione dicitur. At *explicatio mea inter Theologos Lutheranos ante me vix audita est,* vt ipse Wolffius etiam aliter locum explicat. Sæpe dixi, non auctoritatibus me stare, sed rationibus. Fac, primum me illam explicationem dedisse. An ideo falsa est? Demonstres, quæso, hanc regulam Logicam;

*Quæcumque interpretatio est noua, illa est falsa.*

Tunc fiet hoc, quando omnem cognitionis abyssum maiores nostros exhaustisse, vt ne guttula quidem superstet, veritas explorata erit. At per hanc sententiam vel explicationem, ea, qua Dn. Wolffius de entibus simplicibus, tanquam seminibus corporum, in medium protulit, pars Theologie Reuelatae constituuntur. Ridiculum hoc quoque commentum est. Vnde probabis maiorem:

R 2

Quis-

Quisquis doctrinam, in Philosophia demonstratam, in Theologia ut veram supponit, is eam facit Theologiae Reuelatae partem?

Nonne regulæ Syllogismorum Logicæ, e. g. quod in secunda figura ex puris adffirmantibus nihil sequatur, in Logica demonstrata, in Theologia ut vera supponuntur? An qui supponit, eas Theologiae Reuelatae partem facit? Nemo tam omnibus sensibus est orbus, qui illud credat. Nil igitur hæc faciunt ad erroris me conuincendum.

## CAPVT VI.

DE

SINGVLARIBVS THEOLOGIAE CARPO-  
VIANAE QVID SENTIENDVM?

§. 115.

*Responso ad R*estat, vt illa persequar, in quibus, quid de (fictis) singularebus Theologiae Carponiane iudicandum sit? Dr. Opponens disquirit. Respondebo autem ad singula seorsim. Anim. laria Theolo- 3. pag. 143, non omnia singularia eodem loco habenda esse fa-  
gi. & Carpo-  
tetur, & auctorum testimoniis confirmat, ob eamque rationem  
niana laude  
an vituperio  
digna sint? questionenem proponit: *vtrum laude, an vituperio digna sint sin-*  
*gularia Theologia Carponiane?* Labori hominis, qui arena do-  
mum imponebat Matth. VII, 26, non dissimilis conatus est.  
Namque etiam si iam ad finem properent Dr. Opponentis ani-  
maduersiones, in toto hoc tamen eruditio*nis* monumento, quod  
exegit, ære perenniore nusquam dedit definitionem eius, quid  
singulare vocet? Vnde factum est, vt pariter ac olim Athenis  
vir mente captus, omnem nauem ad pulsam suam esse puta-  
bat, sic de omni, quod in mea Theologia invenit, nec recte  
intellexit, nomen crepet singularium, & satis se bene officio fun-  
ctum

ctum esse arbitretur, si singularitatem pro auctoritate pronunciasse. Contra ea autem cum ex definitione singularis singularitas eorum, contra quæ disputatum fuit, ostendenda fuisset, ne de vno quidem controversia momento singularitatem probauit Dn. Opponens. Quin immo parum abest, quin notio nem de singulari penes Dn. Opponentem tenebris Ægyptiacis obscuritate non cedere, milii persuadeam. Nam modo vitia adparentia definitiones Logica an. 4. seqq. p. 3. seqq. modo definitionem sensu biblicam verbis biblicis expressam non esse an. 6. p. 8, modo quidquid ill. Wolffius non dixit an. 22. p. 39, modo definitionem causarum sociarum in Theologia Reu. demonstrationis causa datam esse an. 1. p. 49, modo non-adlegatio loci biblici in thesi licet recte demonstrata an. 2. p. 96. an. 3. p. 98, modo quæstionem de possibili creatione ab æterno me celebrem vocare an. 4. p. 100, modo inter mundum præsentem actualem & alium possibilem me distingue an. 5. p. 101, modo de creatione mundi ab æterno possibili vel impossibili me iudicium suspendere an. 7. p. iii. & quid non? ipsi singulare est, adeo ut omne id ipsi singulare esse videatur, quod non dixit ipse an. 1. p. 94. Enim vero, per tritum Metaphysicorum canonem, non entis nulla prædicata sunt. Quoniam igitur Dn. Opponens nullum adhuc singulare Theologiae Carponianæ demonstravit, superuacua, aut, si mauis, ridicula quæstio est: vtrum singularia Theologiae Carponianæ laude digna sint, an vituperio? Par enim est ratio questionis, vtrum quod non est, laudandum sit, an vituperandum?

SCHOL. Si ad verba Praefationis Theol. Dogm. pag. 19: *Id Monitum,*  
enim (puta: nexus veritatum Theologicarum) est, quod in hoc  
opere singulare comprehenditur, forte causa probacionis singularium  
priuocaturus est Dn. Opponens, operam perdit & oleum. Ibi  
enim, contextu verborum duce, de methodo Theologiam tra-  
 scandi, quam in opere meo singularem esse dixi, sermo est, non  
de dogmatibus. Hoc loco autem, & in tota hac disquisitione de-

singularibus ratione dogmatum sermo fuit, & talia a Dn. Opponente probata fuisse, nego pernegoque,

## §. 116.

*Prouocatio-*      *Enim vero Dn. Opponens ad quæstionem propositam (§.*  
*nis ad Theo-*      *115.) iudicium ferre non ausus, prouocat ad rerum Theologica-*  
*logos iudices*      *rum arbitros, peritos & candidos, hoc est tales, qui & per habi-*  
*in hac con-*      *tum exercitatus sensus habeant ad discernendum bonum & malum*  
*trouersia fu-*      *Hebr. V, 14. & ea que ab ipso proposita sunt, diligenter, accurate,*  
*cilitas.*      *& sine studio partium diiudicent an. 3. p. 144. Multa hic sunt,*  
*in qua iure animaduertam. An licet sententiam ferre, altera*  
*parte nondum audit? Annon si controuersiam præsentem sub*  
*actionis forensis similitudine adumbrare placeat, vt facit quidem*  
*Dn. Opponens, ad iudicem externum prouocans, Theologia*  
*mea Reuelata Dogmatica (si Diis placet!) corpus delicti &*  
*Dn. Clugius actor est? At hic, non audito me, nec defenso, sen-*  
*tentiam a iudicibus ferri vult. Egregius sane agendi modus, quem*  
*postulat omnis, qui de iniustitia causæ conuictus est! Deinde*  
*etiamsi facile patior, vt de controuersia hac iudicium ferat dis-*  
*cretium (quodnam sit tale? vid. Theol. Reu. Dogm. §. 140.),*  
*quisquis velit, sciat tamen Dn. Opponens, Papam me in Eccle-*  
*sia Lutherana non agnoscerere. Quid ita? Papa pronunciat pro*  
*auctoritate, vt ab eius sententia recedere nefas sit, qualis con-*  
*trouersia index auctoritatius adpellatur. An talem agnoscit*  
*Ecclesia Lutherana? Minime gentium. Si enim agnosceret,*  
*agnosceret Papam, licet non Romanum, sed alium quemcumque.*  
*Locus mutatus esset, non res. Negato igitur iudice con-*  
*trouersia huius auctoritatiuo, aduersus omne exterorum sini-*  
*strum iudicium semper mihi, quamdiu habeo, quod excipiam,*  
*defensio superest, nec vnquam in decisione simpliciter adquies-*  
*cendi necessitas mihi est imposta. Quid igitur haec sibi vult*  
*ad Theologos arbitros prouocatio? Aut enim iudicem aucto-*  
*ratitium, aut discretium Dn. Opponens intelligat, necesse est.*

Illum,

Illum, ecclesia consentiente, non agnosco; in huius iudicio si-  
nistro, quod excipiatur habens, non adquiesco. Quamobrem  
inanis hæc & futilis est prouocatio. At ita in infinitum con-  
trouersia proceder. Finis controuersia ex argumentis rei &  
regulis disputandi Logicis pendet, non ex decisione humana.  
Dicam rem clarius. In Theol. Reu. Dogm. proposui theses  
meas cum demonstrationibus. Dn. Opponens, licet non in-  
uitatus, in singularibus suis formauit oppositiones. In inani-  
bus his singularium vider iam & legit oppositionum adsumptio-  
nes & responsiones ad omnia. Respondi, vt abbrevietur inanis  
contentio, in forma Logica. Respondi etiam candide & ad rem,  
formato recte controuersia statu, concedendo, quæ concedenda  
esse putau, quæ neganda fuerunt, negando, distinguendo etiam,  
vbi opus fuit, atque limitando, aut instantias proferendo.  
Quæ igitur negata sunt, vt Dn. Opponens secundum regulas  
disputandi prober, necesse habet. Quod nisi faciat legitime,  
extra oleas vagando, datas responsiones dissimulando, obiectio-  
nes nude repetendo, lictis iis desertisque alias iterum, nec ad  
hanc rem pertinentes, quærendo, argumenta in vociferationes  
conuertendo, contestationibus lectorum animos occupando,  
denique, vt perditissima & infima fæx hominum a verbis ad ver-  
bera progreditur, conuitti argumentorum loco me onerando,  
calumniisque repetitis lædendo existimationem eius, qui nul-  
la re grauis, nulla inimicus fuit, & quæ sunt aliæ artis *Levðarvñus*  
*psæðodelai*, causam desperatam, controuersiam finitam, seque vi-  
ctum esse. Dn. Opponens prodet. Ita enim cum quoquis opponente  
se res habet, si in probatione deficiat. Non igitur iudice ex-  
terno, ad controuersiam dirimendam, opus est, sed argumen-  
tis. At peritus & candore preditus postulatur iudex. Inanis  
etiam hæc limitatio est. Fac enim, dari talem, qui utroque  
requisito (at quantum est, quod nescimus! quantum est, quod  
valent hominum propensiones, rationesque agendi subiectiæ!)  
pol-

pollet, sententia aduersus Dn. Opponentem lata, illico is aut peritiam, aut candorem iudicis, aut vtrumque non tantum in dubium vocabit, sed negabit. An enim aliter fecit Dnn. Goettingensibus & Lipsiensibus an. 5. pag. 146, æquum pro veritate iudicium de Theologia mea ferentibus? *Goettingenses* enim, Dn. Clugio indice, faciunt, vi aliis studiis magis, quam Theologie dediti esse exigitandi sint. *Lipsienses* autem ludibrio habens Dn. Clugius carpit, quod omnia, quasi de coelo ego Theologiam euocasset, studioſissime commendent, & Philosophiam Wolffianam sibi magis cure cordique esse, quam Theologiam prodant. Quin eo audaciae Dn. Opponens progressus est, vt, non exspectata defensione mea, auctorem simul & iudicem egerit, & ad emendandum, qua ipsi displicant, inauditum condemnauerit an. 8. p. 150. At quia æquali cum Dn. OppONENTE iure fruor, sententia aduersus me lata, mihi etiam maiorem iudicis peritiam, aut candorem desiderare licet. Nam cur mihi, quæso, in sententia iudicis adquiescendum esset, Dn. Opponentis non item? Inania igitur & absonta sunt consilia, quibus Dn. Opponens Theologiam meam iugulare constituit.

## §. II7.

*Iudicia Goet-* Interea dum argumentis destitutus iudicis externi præsidium  
*tingensium* Dn. Opponens querit, conuertit se primum an. 5. p. 145, ad  
*& Lipsien-* Dnn. Goettingenses & Lipsientes, quorum illi in Abriss von dem  
*suum de au-* neuesten Zustande der Gelehrsamkeit P. 1. pag. 87. bi in Deut-  
*ctoris Theo-* schen Actis eruditorum P. CCXX, p. 282 de Theologia Carponiana  
*logia,* sententiam iam dixerint. Quid hoc ad rem? Finge casum (sal-  
*ua existimatione Virorum Doctissimorum hoc scriptum volo),* qui tamen oppido falsus est, Dnn. Goettingenses & Lipsientes omnino Theologiam meam improbase. Quid inde? An falsitas dogmatum meorum inde sequeretur? Vnde probabis ma-  
*jorem;*

Quid.

Quidquid Dnn. Goettingenses & Lipsienses improbant, id fallsum, id reiciendum est? An veritas doctrinarum ex horum auctoritate vel suffragiis pendet? Nonne Synedrium Hierosolymitanum apostolorum? Nonne concilium Tridentinum Lutheranorum? Nonne vna interdum Facultas Theologica Lutherana alterius doctrinas improbavit & reiecit? An inde concludis ad falsitatem? Proh! quam misera! quam variabilis res esset veritas, si ad sententiarum & auctoritatum humanarum cynosuram exigenda esset! Enim vero, ut quod res est dicam, tantum abest, ut Dnn. Goettingenses & Lipsienses sententiam dixerint aduersus me, ut Dn. Opponens non tantum sine praesidio sui, sed etiam cum dedecore suo ad eosdem prouocet. Prouocat ad illos sine sui praesidio. Nam Dn. Opponens disputat contra definitionem creationis & alia ad doctrinam de creatione pertinentia momenta, ut tota docet tractatio superior. At contra eadem disputare, neque Dnn. Goettingensibus, nec Lipsiensibus in mentem quidem venit. Ad facum igitur, qui alienus a promisso candore est, faciendum haecce prouocatio pertinet. Prouocat etiam cum dedecore. Nam cum Dn. Clugio iudice, *canendum sit a Theologia Carponiana* an. 19. p. 88, contra ea Dnn. Lipsienses l. c. quæ verba ipse Dn. Opponens repetiit pag. 146, ita sententiam professi sunt:

Man kan es dem Herrn Verfasser nicht ungleich auslegen, daß er sich an das wichtige Unternehmen gemacht, die geoffenbarte Gottes-Gelahrheit in einer denen Wissenschaften eigenen Lehr-Art vorzutragen. Er hat sich vor neuerlichen Meinungen dabey sorgfältig gehütet, und ist beständig bey der Lehre unserer Kirche geblieben. In dem Vortrage selbst hat er viel, so er von seinen Vorgängern nicht entlehnet; wie er denn alles nach den strengen Gesetzen der Vernunft-Lehre einge-

richtet, und in Beschreibungen, Beweisen und Verknüpfungen sehr genau gewest. Darzu kommt noch die besondere Zierde seines Buches, daß er sich einer leichten deutlichen Schreib-Art bedienet, auch sich vor neuen Kunst-Wörtern, welche gemeiniglich eine Dunkelheit mit sich bringen, gehütet, und hingegen auch die bekant und gewöhnlichen sorgfältig und richtig beschrieben.

Similiter Dnn. Göttingenses, etiam si modeste quædam monuerint, finientes tamen libri enarrationem, aperte ita, qua pariter ipse Dn. Opponens p. 145. 146. verba repetit, scriplerunt:

Wir könnten dergleichen Sätze unangeführt lassen, indem sie bekant genug sind, wenn wir nicht der Wahrheit ein Zeugniß schuldig, und bemühet wären, dem Leser in einen kurzen Entwurff die Richtigkeit der Lehren des Herrn Verfassers zu zeigen. Ist es uns erlaubet, unser Urtheil hinzu zu setzen, so muß man den Fleiß und die Geschicklichkeit des Herrn Carpois loben und ihm die Ehre unstreitig lassen, daß er die Lehr-Sätze der offenbahrten Religion in eine bessere Ordnung und Verbindung gebracht, als sie vorher gewesen.

Et licet Dn. Opponens ad fidem Virorum, qui sine partium studio sunt, nec ullum a me emolumentum exspectant, infringendam, Dnn. Göttingensibus distractionem per alia studiorum genera, Dnn. Lipsiensibus autem modo maiorem Philosophie Wolffianæ, quam Theologie curam, modo ignorationem doctrinæ, que in Ecclesiis nostris tradi solet, aut incuriam, & quid non? obtrudat, nemo tamen non videt, eo id tantum sine fieri, ne elumbis reddatur sapientia Clugiana, quæ colluuiem singularium in Theologia mea inuenisse sibi visa, quid singulare sit? ignorat (§. 115.). Nam non per adulacionem, & hinc pro veritate

ritate & conscientia Dnn. Goettingenses & Lipsienses scripsisse, quæ scripsérunt pro me, in aprico est positum; qua de causa nec facultatem, æqua aduersus adgressorem iniquum iudicia defendendi, iis deesse arbitror; maxime cum, inania esse singularia omnia, quæ Dn. Opponens æquis illorum iudicii opposuit, euidentissime sit demonstratum. Et etiam si forte sectæ studium obuertat, nec in eo tamen, data definitione sectæ, quidquam haber præsidii. Si enim cæcam dogmatum receptionem & defensionem intelligat, Dnn. Goettingenses & Lipsienses pro iniuria habebunt, quod obiicitur; si adprobationem dogmatum alterius ob conuictionem propriam, iterum res ad id, quod modo dixi, reddit.

**SCHOL. I.** Antequam autem hoc relinquam argumen- *Solutio obie-*  
*tum, tria mihi supersunt expedienda. Primum eorum ad Dnn. Elionum*  
*Goettingensem, alterum ad Dnn. Lipsiensem, tertium ad me-* *Goettingensem*  
*am de anima Christi hominis in se spectata Commentationem* *um aduersus*  
*pertinet. Dnn. Goettingensem etiam si doctrinas meas a cri-* *Theologiam*  
*mme heterodoxias, vel, ut cum Dn. Opponente loquar, singula-* *meam Reuel.*  
*ritatis absoluunt & methodi scientificæ vel systematicæ adpli-*  
*cationem ad Theologiam, quam primus ego tentau, clarissimis*  
*verbis adprobent (§. 117.), habuerunt tamen quedam mode-*  
*ste monenda; ad quæ, data hac occasione, eo magis pari cum*  
*modestia respondendum est, quo fortius male cauta fulcimen-*  
*tum, contra istorum, ut quidem arbitror, intentionem, in illis*  
*Dn. Opponens querit. Scilicet*

1.) ad Theol. Reu. §. 5. vbi, ex ignorantia vel præcipitan- 1. de trans-  
*ria commissam legis naturalis transgressionem peccatum esse, ad-* *gesse*  
*serui, hæc notant Dnn. Goettingenses pag. 94.*

Es möchte aber der Einwurf gemacht werden, ob eine jede ranta vel  
 Unwissenheit, in denen Sachen selbst, die zum natürlichen præcipitan-  
 Gesetz gehörig sind, eine Sünde? und ob man aus der Ver- tia, an sic  
 nunst erweisen kann, daß eine jede Übereilung uns zum Ver- peccatum?  
 brechen anzurechnen sei? welches entweder gar nicht, oder  
 schwer zu beweisen seyn mögte.

At non dixi, omnem ignorantiam eorum, quæ ad legem natu-

ralem pertinent, peccatum esse, sed transgressionem legis naturalis, ex ignorantia ortam, peccatum esse, quod a priori diserpat. Potest homo legis naturalis praecepta quadam specialia, ad se non pertinentia, sine peccato ignorare; at inde non sequitur, peccatum non esse, quod homo aduersus legem naturam ex ignorantia delinquit. Quod ad alterum, quod probatu impossibile aut difficillimum iudicant, attinet:

*an omnem, ex precipitania ortam, legis naturalis transgressio-*

*nem pro peccato habendam esse, ex ratione demonstrabile sit?*

dedi in Scholio §. 5. Theol. Reu. Dogm. principium, ex quo

demonstratio ducenda est, scribens:

*quisquis hanc veritatem in dubium vocat, ille vel rigore legis*

*divina & naturalis non agnoscit, nihil illam preter actus quos-*

*dam externos postulare, sibi falso persuadens, &c.*

Scilicet, suppositis quibusdam principiis, vel i. ita argumentor: Lex naturalis postulat, ut omnem homo, quam obtinere potest, perfectionem quarat. Sed perfectio, qua transgressioni legis naturalis ex precipitania orta opposita est, est etiam perfectio, obtentu possibilis. Ergo ut eam quoque homo querat, obligatur per legem naturalem. Quoniam igitur actio, ex precipitania contra legem naturalem facta, est transgressio legis naturalis, eadem est peccatum; Vel 2. si mavis ita: Omne bonum obtentu possibile Deus vult; sed bonum, quod actioni, ex precipitania aduersus legem naturalem facta, oppositum est, etiam est bonum obtentu possibile. Ergo id etiam Deus vult, puta hominem agere. Sed quidquid Deus hominem vult agere, ad id agendum homo propter ipsum Dei in se dominum est obligatus. E. Ad id etiam bonum, quod actioni ex precipitania aduersus legem naturalem commissum oppositum est, homo propter summum Dei in se dominium obligatur. Ergo homo ex precipitania contra legem naturalem agens peccat. Sic igitur non sine ratione me scripsisse, que scripta sunt, elucescit. Sed non refert ulterius de hac re disputare, quia ipsi Dnn. Geettingenses, sc in conclusione mecum consentire, fatentur.

2. de pena-

rum diuina-

2.) *Dum omne peccatum, habito ad Deum, ens infinitum, iesum respectu gravitatem infinitam habere, ob eamque rationem, quia pena*

p̄na delicto equalis esse debet, p̄na infinita puniendum esse, do-  
rum infinitum  
cui Theol. Reu. §. 8, monent Dan. Goettingenses pag. 95.  
Man mag hierbei nicht ohne Grund verlangen, daß die Sache  
noch etwas deutlicher von dem Herrn Verfasser mögtere aus-  
gewickelt werden seyn.

Ex quibus verbis, nescio quam, animi voluptatem & oblectatio-  
nem capiens Dn. Clugius pag. 145. scribit:

Dnn. Goettingenses Theologiam hanc non omni ex parte probant,  
Sic maiorem perspicuitatem desiderant in iis, que de divina Sa-  
craarum litterarum origine Dn. Carpouius disputauit;

iudicium Dnn. Lipsiensem, quod a styli facilitate & perspicui-  
tate Theologia mea commendabilis sit, iisdem labefactatus pag.  
147. Ut autem verum faretur, non perspicio, ex quo capite per-  
spicuitatis defectum Dnn. Goettingenses increpant? Neque vtrum  
notionum, an propositionum, an nexus earum habeant ratio-  
nem? video; qua de causa ad animaduersiōnē generalem spe-  
cialiter respondere, non datur. Interea qui breuiter a me dicta  
amplius euoluta legere cupit, audeat Cl. Io. Ernelli Schubert, quem  
olim auditorum habui, Tract. s. t. Veritas religionis Christianae  
methodo demonstrativa proposita.

3.) Theol. Reu. §. 58. decem criteria vere diuinæ reuelationis 3. de criteriis  
enarrata, & demonstrata dedi, ex quibus in seqq. solam S. Scriptu-  
ram, reiecto Gentilismo & Muhammedanismo, reuelationem  
vere diuinam esse, ostendunt est §. 65. seqq. 71. seqq. 112. Dnn.  
Goettingenes eam prolixitatem supervacuam esse iudicantes, scri-  
bunt pag. 101.

Unserm Bedürfn̄ nach, läßt sichs alles aus dem Kennzeichen  
herleiten und entscheiden, daß die Offenbahrung das Mittel in  
sich fasse, wodurch wir mit Gott versöhnet werden.

Si de remedio reconciliationis cum Deo in genere hic loquuntur,  
sententiam non meam facio. Nego veram esse maiorem: quæ  
cunque reuelatio remedium reconciliationis cum Deo tradit, illa  
vera diuina est. Muhammed eram de remissione peccatorum  
& ratione eam obtainendi loquitur, & reuelatio tamen eius est spu-  
ria. Si de remedio reconciliationis per satisfactionem Vicarii  
Spuria adprehensam, peticulum facere integrum est. Reliqua cti-  
teria si non ad necessitatem, saltim ad utilitatem & confirmatio-  
nem

4. de vatici-  
nijs sibylli-  
nis.

nem vberiorum faciunt. Nam quo plura rei cognoscendæ ad-  
fanc criteria, eo minus de veritate eius dubitari fas est.

4.) Cum Theol. Reu. Dogm. §. 119. Sch. de vaticinijs Sibyl-  
larum loquendi locus esset, quædam de Christo vaticinia in libris  
Sibyllinis fuisse, ex Virgil. Eclog. 4. & Cicero de Diuinat. l. 2. eu-  
denter demonstrauit, soluta simul, quæ ex claritate nimirum solet  
duci, obiectione. Dan. Gottingensis de assensu eruditorum hic  
dubitantes pag. 102, ipsi commentantur ita pag. 103.

Solten die Sibyllischen Bücher von iemand anders als Gott  
abstammen, wenn ihr Inhalt wahr ist? Sind sie falsch, sind  
sie dunkel, so ist es nur eine aus zweydeutigen Worten eigen-  
willig gemachte Auslegung, was wir daraus schließen.

Quid abfurdii, posita vaticiniorum Sibyllinorum saltim quorun-  
dam veritate, quam demonstrauit, sequatur, si originis diuinæ ea  
esse dicamus? non video. Iustinus Martyr in Orat. ad Gent. in  
fine, mirifico quodam Numinis adflatu Sibyllas motas esse, existi-  
mat; pariter ac Eusebius de Vit. Conf. libr. V. sive Orat. ad Cœt.  
sanctor. c. 18. dicit, inquit, Irenæus h̄ras yuocin usq; di tñn pñḡ r̄b  
ḡr̄ r̄b uñdora pñpñr̄wos. i. e. Diuino plane spiritu impulsu, cuncta  
qua euentura erant, de Deo vaticinari versibus capi. Modum  
autem originis vaticiniorum diuinæ, ipsis libris non amplius, sed  
fragmentis eorum tantum superflibus, in tanta temporum ob-  
scuritate quis determinabit? Tobias Pfannerus in Syst. Theol. Gen-  
til. Pur. pag. 12. seqq. varie de modo disputans, de re ipsa inter  
alia ita: Quibus quidem (sc. quod Erythrea vel Cumana in eo-  
rum numero ex mente Augustini deputanda videatur, qui perti-  
nent ad ciuitatem Dei) quoad Erythream, Babyloniam atque Li-  
byssam, non difficulter assensum commodare queas, si ista Iapheti  
vxor, illa Arabia regina a Salomone edocita, hoc Debora, quod  
quidam volunt, fuere. Verum vt bisce, quam non merentur, si  
dem ulro tribuas, de ceteris saltem questio restat. Attamen &  
illas diuino insinatu agitatas, sine periculo adserere licebit. Ita  
quippe Bileam, homo non gentilis tantum, sed & Genelium ne-  
quisissimus, Dei indicio clarissimum, de sidere ex Iacobi spirto orituro,  
vaticinium edidit. Ita Caipha inuito, siue vaticinii vim igno-  
ranti, consilium excidit, e re populi fore. unum hominem saluti eius  
victimam cadere. At ex modi ignoratione ad falsitatem rei non  
recte

resto concludi, nemo est, qui ignoret. Negata igitur falsitate vaticiniorum saltim quorundam Sibyllinorum, *interpretationes arbitrarias esse, que inde a nobis concludantur*, pariter nego. Attendat quæso lector ad vaticinium Sibyllæ Cumææ, quod Virgilius ecl. 4. licet sinistre adplicatum retulit, fore, ut noua progenies de celo alto demittatur, *qua duce, vestigia sceleris nostri, que super sint, irrita reddenda, terra formidine pane soluenda & magnus seculorum ordo ab integro inchoandus sit.* Nemo sane est hominum, ad quem hac adplices, prater Christum, adeoque ut ipsum vaticinium nullo modo a Christianis interpolatum dici potest, sed pro genuino habendum est, sic adplicatio etiam non est arbitraria. Arbitraria tunc esset, si superesset alius, cui omnia illa prædicara æque ac Christo conuenirent, & Christum tamen præferre placeret. Si arbitriam adplicationem putas esse, eodem modo Paulinas interpretationes & adplicationes V. T. ad Christum in epistola ad Hebreos (abstraho iam a *signosis*) arbitrarias vocabis, quia eodem modo apostolus, ut nos, argumentus est.

Quod ad bibliorum Hebraicorum puncta vocalium & accentuum de punctis centrum attinet, originem eorum diuinam per Mosen propheta vocalium & tasque adserui Theol. Reu. §. 179, in historica variarum sententiarum §. 176. enarratione inter alia referens, quod Elias Levi Codicis Hebrae iudeus sine omni, ut loquatur B. Pfeiffer in Crit. S. pag. 70. brevi.

e contributibus duce, auspice, comite, teste, adeoque sine suffragio populi, puncta vocalium & accentuum sexto demum P.C.N. saeculo a Masorethis addita esse perhibuerit. Dnn. Göttingenses hoc loco de ipsa originis diuinitate disputatuos se esse negant pag. 109.

110. Ait quantum Præcipes Philologie, Buxtorfium, Bartoloccius, Wolffium, alias in eo me contentientes habere, concedant, quod Iudei veteriores diuinam pondorum vocalium accentuumque originem, ab ipsis scriptoribus sacris deriuandam agnouerint, non tamen difficile esse putant, ut probetur contrarium. Quod ut euincant, allegant ex Talmude narratiunculam, quam perspicuitatis gratia repeterem opus est, hanc:

Es fraget der R<sup>b</sup>bi Sira: warum der Verlobniss Contract von dem Schwieger-Sohn gestellt, und nicht von dem Schwieger-Vater, da sonst in andern Verträgen, als im Kaufe, ders gleichen von dem Verkäufer verrichtet werde? Rabba antwortete,

tete, daß beides nach der Schrift geschehe, weil in dem letzten Fall die Handlung dem Verkäufer Leu. XXV, 25, in dem ersten dem Bräutigam Deut. XXII, 13. פְּנָא zugeschrieben worden. Danieder wird die Einwendung gemacht, daß auch beim Kaufe in der Schrift es den Käufern beigelegt werden. Denn es heißt Jerem. XXXII, 44: Sie werden Acker um Geld kaufen, פְּנָא in Kal. Dieses wiederleget der andere dadurch, indem er behauptet, man müßte nicht פְּנָא sondern קְרַבְנָה in Hiphil lesen. Jener fragt, was ist für eine U. sach vorhanden, daß du willst hier פְּנָא lesen? Ist es etwa, daß du anders wo Leu. XXV, 25. findest: wenn er verkauft. Er ahmet ihm daher nach und spricht: auf die Art muß man auch in der Stelle (Deut. XXII, 13.) nicht פְּנָא sondern פְּנָא lesen, denn es steht geschrieben, Deut. XXII, 16. Ich habe meine Tochter diesem Manne gegeben.

Vnde constare arbitratur (allegabo ipsa verba):

1. daß die Rabbinen es für erlaubt gehalten, mit den Punctis vocalibus eine Veränderung vorzunehmen, welches sie nimmer würden verstatte haben, wenn sie geglaubet hätten, das dies selbe von Mose und den Propheten den Ursprung hätten.
2. Dass sie die Regel beobachtet, daß man die puncta vocalia beurtheilen müsse, nach andern klaren Stellen.

Fateor, me hac ex excitata narratione, de cuius veritate non disputabo, non perspicere. Nam et finge, Iudæum Rabba puncta vocalium & accentuum non habuisse pro talibus, quae ab ipsis Scriptoribus s. profecta sint, ob eamque rationem integrum sibi putasse, ut ab illis recederet. Ab uno individuo ad totam gentem, & omnes illius doctores sinistre argumentatio procedit. An nostra tempestate ab vnius eruditissime opinione priuata ad totum eruditorum orbem recte concludes? Si non, cur de tempore prisco illa valet consequentia? Eo minus autem ita licet concludere, quia vni dissidenti testimonia omnium reliquorum Iudaorum, solo Elia Leuita excepto, possunt opponi. Sic R. Ihuda Hakka-dosch primus Talmudis auctor in Mischna Lib. Megilla c. 3. בְּלֹא פְּסָקָה רְאֵיתָ סְכִינָה כְּשֶׁ אָנָּא לֹא פְּסָקָה, Omnem verum, quem non disinxit Moses, neque nos distinguimus eum. Et amplius idem R. Ihuda hoc decretum sanxit: Qui legit in lege,

non

non legat minus, quam tres פסוקים versiculos, & ae Targum vnum versiculum, & in Prophetis tres. Cum autem distincho versuum fiat per accentus, accentus, doctore hoc Iudaorum antiquissimo teste, a Scriptoribus S. sunt; vnde de punctis vocalium eo minus ipsum dubitasse, facile colligitur. Sic etiam R. Asarias in Meor Enaaim c. 59: *Adfirmamus, inquit, Mosis tempore puncta fuisse adscripta, sec. illud Deut. XXVII, 8: scribes omnia verba legis in lapidibus, declarando bene; nam nisi puncta adfuisserent, non posuisset ita Scriptura intelligi.* Et iterum: *si accentuum additio esset noua alicuius et nobis, Deus, qui nouit cogitationes hominum, scit, an non esset vanitas.* Pariter R. Bechai in Commentariis in Genesis in fine Sectionis I. Bereshit, scribit, *על זה דרשׁוּ לְשָׁנֶת הַטִּקְמִים שְׁבֹתָה רָה נָהָנוּ מִפְנֵי וְחַרְבוֹ זוּ מִפְתָּח שְׁבֹתָה וְשָׁם שָׁלֹךְ וְיָבָנוּ בְּפֶקְרָא וְדֶרֶשׁוּ כֵּן וְשָׁומֵן שְׁבָל אֶלְוֹ רַפְטָקִים וְיַבְנֵי בְּפֶקְרָא אֶלְוֹ פְּסֻקִים טַעֲמִים:* Et, Super hoc commentanur Rabbini nostri, quod etiam accentus, qui in Lege, dati sint e Sinai, & arguant id ex eo, quod scriptum est: *Et adposuerunt intellectum, & intellexerunt lectionem illam Neh. VIII, 9; quod sic interpretantur: Et adposuerunt intellectum; illi sum versus: Et intellexerunt lectionem istam; ijsi sine panje accentum.* Conferatur pluribus Wasmuth in Vindictis S. Hebrææ scripturæ pag. 171. 172. 173. & in pluribus locis aliis, & Buxtorff in Tiberiade sive Commentario Malorethico pag. 80. 81. 82) Neque ex tota historia patet, Iudaum Rabba ortum punctorum a scriptoribus S. in toto V. T. Codice negasse, sed cum contradictione ipsi in eo esse videretur, quod secundum S. Scripturam actus emptionis venditionis tribuendus sit venditori Leu. XXV, 25, & nihilominus Ier. XXXII, 44, emptori tribuatur, ad contradictionem evitandam in eo causæ medelam quaesuit, vt. c. posteriore non יקְנֵנָה, sed יקְנֵנָה legendum putaret. Nam vero non sequitur: Iudeus Rabba in loco quodam bibliœ, ad contradictionem (licet adparentem) evitandam, aliud punctum vocale substituendum esse putauit, errorem scribarum forsan subesse coniiciens. Ergo omnem punctuationem biblicalam V. T. habuit pro non-diuina. 82) Neque quantum equidem perspicio, alter Iudeus Sirachius sententiam de mutandis punctis vocalibus & substituen-

dis alienis adprobauit, sed impugnasse mihi potius & per instantiam alterius Iudei sententiam infregisse mihi videtur. Quibus se ita habentibus, non potest ex illa historiola, quod Iudei vetustiores ortum punctorum Hebraicorum a scriptoribus sacris negaverint, concludi. De cetero dum Dnn. Goettingenses ita ex allegata historia aduersus me concludunt:

Quocunque in texto Hebreo mutandi licentiam sibi arrogarunt Iudei, id non habuerunt pro diuinitus inspirato.

Atqui puncta vocalium &c. Ergo.

nego, maiorem veram esse. Nam ipsas litteras etiam interdum mutandi licentiam sibi arrogarunt pro vulgato illo in Talmud & Commentariis, quæ Medraschim vocant: **אל פְּקָדָא בַּךְ אֶלְךָ**  
*Ne legas sic, sed sic.* Cuius adserti veritas ex hoc eorum canone  
**חִכְבָּא אֲרָס לְבָבְךָ כָּאֵחֶבֶת בְּכָל יָמָשְׁנָאָמָר**  
*constat:*

**וְעַפְתָּה יִשְׂרָאֵל בְּהָ וְרוֹחַ אֱלֹהִים שׁוֹאֵל מִקְּהָ** h. e. Tenetur homo dicere centum precatio[n]es unoquoque die, iuxta illa: *Et nunc Israël, הַ מָּה quid Dominus Deus tuus postulat a te Deut. X, 12?* hic dicunt, *Ne legas quid, sed מָה centum, ut scribunt Talmudici in libro Menachoth fol. 43.* An igitur litteras Hebrei textus etiam Iudei non habuerunt pro talibus, quæ a Mose & Prophetis ex *שְׁנָוֹנוֹת* orta sint? Sic reiectis & punctis & litteris tota S. Scriptura V. T. Iudeis inane figmentum est? Bene eandem obiectiōnem, iam olim ab Elia Levita propositam, discussit Ioh. Buxtorff in Tiberiade sue Commentario Masorethico pag. 84-85. scribens: *Respondent Rabbini, hinc (ex eo, quod Rabbini sape puncta mutarint legendō) minime probari posse priuationem sue absentiam punctorum.* Non enim sic argumentati sunt, quasi nestierint, quomodo legendū esset; cum omnes illi, qui talia proferunt, fuerint legis peritissimi. Scriptores doctissimi, neminemque tam bardum fuisse, qui non scieret. **אֵיךְ תְּנִזְנִית הַיְהָה נְפָלָה מְגֻכָּת** *quomodo fuerit ista vox punctata, sed dixerunt sic, quod litterali ac genuinae vocis explicationi voluerunt aliam adiungere, non ad verum vocis sensum tradendum, sed ad alium allegoricum quandam inde elicendum.* **רַךְ אַמְבָּחָת** *per modum disputandi opinabilem, leui subsidio non firma probatione suffultam, iuxta communem Rabbinorum consuetudinem.* Sunt enim

שְׁלַשׁ עֲשֶׂר בָּרוֹת שְׁהִתְרֹה גְּרַשְׁת בָּהּ tredecim modi,  
 enim per quos Lex explicatur, immo. שְׁבֻעִים פְּנֵיכֶם לְתוֹרָה septua-  
 ginta sunt modi explicanda Legis, prout id a maioribus suis per  
 Kabalam & Traditionem continuam acceperunt - - Immo acumen  
 potius ingenii in talibus ostentant, ut habeantur ii, qui legem va-  
 riis modis explicare possint - - Alius ergo docendi scopus huius  
 docendi modi: Ne legas sic, sed sic, fuerit necesse est, nempe quod  
 fuerit dantaxat: טִמְנָן בְּעַלְמָא לְזִכְרַת בָּבְרַת פְּקָדָל signum  
 vulgare & leue pro memoriali rei a Maioribus accepta, ut scribit  
 author libri יְהוָה תִּפְשֶׁר cap. 26. vbi contra Eliam in hac ma-  
 teria agit. Varia enim antiquorum erant docendi genera, que  
 quisque ex ore alterius accipiebat, quorum ut non  
 incideret obliuio tam apud ipsos quam apud posteros, constituerunt  
 sibi signa & symbola, &c. Pariter nec hoc, quod Iudei  
 hodierni codicem punctatum non pro genuino habeant, probat,  
 quod vetustiores ortum punctorum diuinum negauerint; vii Dnn.

Göttingensibus videtur, dum scribunt p. 110:  
 Wir bemerken, daß es bedenklich sei, daß die Juden, die doch  
 sonst so streng auf die alten Gebräuche halten, ihre  
 nicht für echt halten, wenn dergleichen (scilicet puncta voca-  
 lium & accentuum) darinn zu finden.

Nam longe alias rationes habent, codices non punctatos puncta-  
 tis præferendi, quas aliorum, quam meis, verbis malo exprimere.  
 Wasmuth in Vindiciis S. Scripturæ Hebræ pag. 135. seq. ita de hac  
 re verba facit: Respond. Liberali quidem manu neminem non lar-  
 giri, volumina non punctata apud Iudeos in pretio esse, ab iisque  
 afferuari; at quo sine id faciant, penitus expendendum est. Ni-  
 mirum introducta bac est apud eos consuetudo, ab eo demum tem-  
 pore, ex quo per repertas צִירופִים sem multiplices combinationes  
 Cabalisticas ingens Cabale abusus, ac peruersum Scripturam in  
 varios sensus detorquendi studium exstitit. Id quod manifeste de-  
 prebenditur ex his R. Bechai ad Num. XI, 5: Hac de causa iussi  
 sumus, non punctare librum legis. A quo iussi sint, non addit:  
 causam vero subiicit (non hanc, quod Moses quoque legem sic scri-  
 pserit, sed) quia non nisi unicum vox punctata admittit sen-  
 sum; voce vero non punctata, potest homo intelligere & in-  
 venire

uenire multos eosque admirandos & eximios sensus. Atque hoc est, quare ipsi סְפָר הַתּוֹרָה וְמִנְזָקָד פָּסָול liber legis pun-  
ctatus profanus dicitur, eesse Ephodeo c. 5. Quod nimis apud  
אֱלֹהִים קָרְבָּן illas, lex prater דָּרֶךְ הַפְּשָׁת sensum literalem  
habeat שְׁבָעִים פְּנִים sepiuginta facies seu modos explicandi,  
ut ex Aben Esra docet Münsterus in Prefatione Bibliorum. Cui  
addo Philippum Ouseel in Introd. in Accentuationem Hebraeo-  
rum Metricam prefat. §. 8. qui ita loquitur: Ad Codices Ma-  
nuscriptos quod attinet, illas quidem Accenibus substitutos aequae ac  
punctis, extra controversiam est, sed illud non accidit ideo, vt Ca-  
pellus suggerit, quod plane nouum sint innuum hebreoru, neque  
ad litterarum sanctitatem accedant; sed plurimis aliis ex causis,  
inter quas, Iudeorum sententia, hoc est non minima, quod Accen-  
tus majori sanctitatem pollere statuant, quam ut litteris subscriri de-  
beant ordinarie, ob metum ne librariorum vitio errores, in puncta-  
tione & Accenuum positione commissi, integrum volumen Legis  
reddant profanum pollutumque magis, quam ut Synagogarum vñi  
inseruire possit. Superstitione igitur potius si placet, absident Iu-  
dei ab vsu Accentum in codicibus sacris, quam ut vñlum inde his  
apicibus preiudicium crecent. Quid quod Iudeorum nemo hanc  
Capelli consequentiam vñquam sit admissurus, cum longe alia con-  
stanter tradant & defendant. At quia parum ad rem facit, Iu-  
daine veteres originem punctorum diuinam crediderint, an nega-  
uerint? siquidem & sine testimonio eorum satis illam adstruxi, &  
negatio eorum non tolleret argumentorum meorum vim, nolo  
de hac re ulterius disputatione; idque eo minus, quia Dnn, Götting-  
enses haec taliaque neutiquam ignorare, sed exercitii causa tan-  
tum opposuisse, arbitror.

6.) De signis distinctionum & accentibus Codicis Graci N. T.  
Th. Reu. §. 217. ita verba feci: virum distinctionum signa in ipsis  
N. T. ἀπορεῖσθαι fuerint, nec ne non liquet. Quia autem in codicibus  
antiquioribus non reperiuntur, recentius ea addita, & hinc non  
quidem temere, attamen nexus idearum postulante descri posse, mul-  
torum eruditorum interpretum est opinio; recentis in Scholio sen-  
tentia & verbis Gallorum de Beaufobre & l' Enfant vt & B. Ram-  
bachii, sed nulla addita epicerisi; indicato tamen loco quodam,  
puta Act. VII, 6. in quo post κανόνην comma debet esse positum,  
quod

6. de signis  
distinctiono-  
num & ac-  
centuum  
N. T.

Quod in nostris editionibus abesse solet. Ex quibus omnibus patet, de ortu signorum distinctionis in N. T. Græco me sententiam suspendisse. Dnn. Goettingenses hoc loco pag. 110. seq. sententiam *Virorum Gallorum me adprobasse*, dicunt; de quo nil tamen in libro meo legitur, nisi forte nudam verborum alterius narrationem pro adprobatione habeas, quod quo fieret iure, non intelligo. Deinde contradictionem sibi inuenisse vixi sunt in his collatis cum iis, que de necessitate accentuum Hebraicorum Th. Reu. §. 178. seqq. in Codice S. Hebreo, ad notiones recte coniungendas distinguendasque, & ad ambiguitatem evitandam, proposueram, scribentes p. 111.

Wenn man dieses vergleicht mit dem, was vorher p. 116. vorgestragen worden von der Nothwendigkeit der accents in der hebräischen Sprache, um die Begriffe mit ein ander zu verbinden und zu trennen, und um die Zweydeutigkeit zu vermeiden: sollte man auf die Gedanken gerathen, daß einmahl die accents in einer Sprache nöthig wären, und ein ander mahl sie herina nicht nöthig seyn, sondern füglich weggelassen werden können.

In quibus verbis triumphum quasi ante victoriam de mea Theologia acturus Dn. Clugius scribit pag. 145.  
Ino (Goettingenses) sententias contrarias vel se mutuo euerentes (in Theologia Carpouiana) sibi obseruasse vixi sunt ratione interpunktionis in V. & N. T.

at exemplum ad saniorem reuersus mentem, pergit pag. cit.  
Ego quidem hac in re meam non facio sententiam Dnn. Goettingensem, cum non eadem accentuum Græcorum & Hebraicorum ratio sit.

Qui disputandi modus utrum ad Democriti, an Heracliti scholam pertineat, incertus hæreas. Etenim Dn. Clugius contradictionem, quam Dnn. Goettingenses hic in mea Theol. Reu. inuenisse sibi videntur, aut actu pro tali habet, aut non habet. Si non habet, cur non adprobat eorum sententiam & suam facit? Si non habet, cur mihi exprobrat id, in quo iniuriam mihi inferri ipse credit? An hic candor ille Theologicus est, quem in titulo & præfamine de se prædicauit? Nulla hic superest elabendis rimis. Eligat Dn. Clugius membrum, quodcunque velit, ipse se suo, ut ostendi, gladio iugulabit, Irrestitum igitur si.

bi relinquens, reuertor ad Dnn. Göttingenses, contradictionem in eo esse, negans, quod in vna lingua opus accentibus, in altera non esse dicatur. Exemplum euidens suppeditant lingua Hebræa & Græca. In illa enim, dum accentus notionum coniunctionem & distinctionem, ad verum sensum inueniendum, indicant, accentibus opus est; in hac, dum tono syllabarum tantum eleuando vel deprimendo inseruiunt, peritus iisdem pariter, ac in lingua Latina & Germanica, carere potest sine sinistro sensus periculo. Pro diuerso igitur accentuum vnu modo iisdem in lingua opus est, modo non, sine contradictione. Quodsi vero de signis distinctionum loquuntur Dnn. Göttingenses ( quæ tamen nomine generali accentuum non possunt denotari ), in eo contradictionem delitescere rati, quod pro meis dogmatibus modo illis in lingua ( puta Hebreæ V. T. ) ad sensum recte determinandum opus sit, modo non ( puta in lingua Græca N. T. ). nego iterum, hanc in meis dogmatibus contradictionem esse. Ad omnem enim contradictionem simultanea affirmatio & negatio requiritur; quod nisi concedas, in iis etiam reuelatio & ratio recta sibi inuicem contradicunt, quæ reuelatio, non cognoscente sed tacente ratione, affirmat. Hinc contradictione esset in meis thesibus, si scripisssem;

Signa distinctionum Codicis Hebrei ( h. c. puncta accentuum ) proficiuntur ab ipsis scriptoribus sacris, quia iis ad sensum genuinum recte determinandum opus fuit,

&:

signa distinctionum Codicis Græci N. T. non proficiuntur ab ipsis scriptoribus sacris, quia iis ad sensum genuinum recte determinandum non opus fuit.

At quamvis propositione prior legatur Theol. Reu. §. 179, posterior tamen non legitur §. 217, sed sententiam ibi suspendi. Interea quia distinctionum signa in lingua qualibet ad sensum rectius certiusque determinandum faciunt, fateor, me pro principiis cognoscendi priuorem esse ad sententiam, qua signa distinctionum N. T. ( puta: puncta, commata cetera ) ab ipsis scriptoribus S. ortum traxisse, dicuntur, modo eruditii operam darent, ad loca, que huic forte sententiæ obstant, concilianda. Et cum loca, quæ cum diuina interpunctionis origine forte in gratiam redire nequeant, sine dubio ( si dentur talia ) rariora sint, velim,

vt

vt in hoc etiam erudit iinquirant, annon, paucorum locum vitia  
interpunctionis scribarum incuria tribuere, satius esset, quam pro-  
pter pauca loca obstantia vniuersa interpunctionis N. T. originem  
diuinam negare, eoque ipso signorum interpunctionis mutatio-  
nem, deletionem, adiectionem ex hominum arbitrio pendentem  
facere? quandoquidem quod constitutionis meræ humanæ est,  
humano etiam arbitrio mutari potest.

7.) Denique post egregium datum Theologiz meæ encomium  
Dnn. Goettingenses pergunt p. 112:

Man möchte aber zweifeln, ob bish daher alles bis zu der grössten  
Strenge im Beweisen gebracht sey. Es scheinet daran noch  
ein und anderes zu fehlen. Wir haben noch nicht eine bewiesene  
allgemeine Sprach- und Redner-Kunst. Es sind die Reguln der  
Auslegungen noch nicht so völlig in Gewissheit gesetzt. Inzwis-  
chen heisst es hierbei billig:

Est aliquo prodire tenuis, si non datur vltra.

In quibus etiam verbis singulare labentis cause suæ fulcrum Dn.  
Clugius collocans, facit, vt non possim non ad illa breuibus re-  
spondere. Dum dubitari posse, putant Dnn. Goettingenses, an  
omnia in Syst. meo Theol. ad summum demonstrandi rigorem  
deducta sint, in coequ vnum & item alterum deesse videtur ipsis,  
ad defectum Grammatica & Rhetorica vniuersalis prouocanti-  
bus, fateor, miram mihi videri obiectionem. Namque cum mihi  
constitutum esset, Theologiam Reuelataram tractare nexumque  
doctrinarum eius, quantum fieri posset, ostendere, fieri non po-  
terat, vt Grammaticam & Rhetoricam aut Hermeuticam vni-  
uersalem pramitterem, sed vt Theologiam naturalem & Philo-  
sophiam moralem, sic omnes alias Philosophia & eruditio-  
nes, quarum subsidio opus erat, supposui. Quod nisi fecissem,  
non Theologia, sed Pansophia mihi fuisse conferibenda. At sup-  
positio eorum in certa quadam disciplina, qua non ad hanc, sed  
plane aliam disciplinam pertinent, neutquam efficit, vt in rigo-  
re demonstrandi qua hanc disciplinam iure aliiquid desideretur.  
Quibus omnibus ita se habentibus, vti encomium & adprobatio-  
nem Dnn. Goettingensium (§. 117.) grato animo publice ag-  
nosco, ita fore, vt has ad monita eorum responsiones, quas ini-  
quitas expressit Clugiana, non indigne ferant, æquitas illorum,  
vt sperem, efficit.

SCHOL.

*7. de rigore  
demonstran-  
di.*

Solutio eius,  
quod ex Dia-  
rio Lipsien-  
sium oppo-  
sum est.

SCHOL. 2. Ad Dnn. Lipsiensis iam progrediendum est, ex quo-  
rum iudicio derestabilis est Carponius, si Dn. Clugii sapientiam au-  
diatis. Vnde tanta iudicata di severitas? Audi rem totam. Adfe-  
rui in Praefat. Comment. de anima Christi hominis in se spectata,  
quod etiam in Theologia nouae veritates possint inueniri, id quod  
hoc, non alio sensu dixi, quod in Theologia etiam, ut in aliis  
disciplinis fieri queat, ut ex veritatis iam cognitis exploratisque  
alia adhuc incognitae deriventur. Enim vero Dnn. Lipsiensis in  
Deutschen Actis Eruditorum P. 220. pag. 282. scripseron ita:

Man verabscheuet billig diejenigen, welche sich rühmen, in der  
Offenbahrung Gottes Gelähheit neue Wahrheiten zu ent-  
decken, und hervor zu bringen. Denn dauns in der heil. Schrift  
alles aufs deutlichste vorgetragen ist, welches erforderet wird,  
recht zu glauben, christlich zu leben, und selig zu sterben; so  
sind neue Wahrheiten in diesem Theile der Gelähheit nicht  
nur unnöthig und überflüssig, sondern auch bedenklich und  
gefährlich.

Quamuis igitur Dn. Clugius Dnn. Lipsiensibus ob bonum & cum  
que de Theologia mea latum iudicium, pro quo pariter publice iis  
gratias ago, non tantum vehementissime succenseat, sed insultet  
indignissime (S. 117.), proteruo hoc malignoque agendi modo  
id sine dubio effecturus, ut alii veritatis amantes candide virtutem  
ab aequo pro veritate ferendo iudicio deterreantur: in isto tamen  
corum effato ouans quasi exsultat & minime se putat inuenire, quod  
quod no pueri in faba. Facta enim exemplo adlicatione ad me, subsumit,  
non solum nouas veritates esse: quod hoc vniuersum ex nihilo pri-  
uatiuo conditum sit, quod apostoli miraculorum, a se editorum,  
causa occasionalis fuerint, quod Deus in creando viam naturalens  
adhibuerie, quod modus creationis secundum principia physica ex-  
plificandus sit, sed me etiam in Psychologiae sacratissime prafatione,  
quod noue in Theologia, nec haec temus cognite veritates inueniri  
queant, ut argumentis evidenter euincere, operam dedisse;  
quoniam iactasse veritates inuentas nouas. Ex quibus tandem pro  
amico, quem promisi praf. pag. 15. & iactauit p. 150, dispu-  
tandi more, ex iudicio Dnn. Lipsiensium dignum deflatione esse  
in Carponium, infert anim. 5, pag. 148. Disiciam hoc calumnia si-  
mulacrum, non repetendo, quae in superioribus assatim ad singu-  
laria

laria de nihilo priuatiuo aliisque istius generis respondi, quia id actum esset agere, sed ostendendo, quod neutiquam me feriant, que Dnn. Lipsienses enunciarunt. In programmate de ratione auctores Clasicos tractandi Gymnastica §. II, \* distinctionem formauit inter inuentionem veritatum (sic dictarum) nouarum Theologicarum, quæ vetustis aduersentur, & quæ ex vetustis propheticō-apostolicis legitime sequantur; inuentionem priorum abominationis esse faslus, posteriorum autem illicitam, periculosa malamus esse, negans. Quid enim in eo mali? quid periculi? quid perniciosi est, si, saluis veritatibus Theologiae Reuelatae exploratis, in cognitione sacra crescere studeamus? Annon ipsi ad illud apostoli nos excitarunt? Nonne autem hoc cognitionis incrementum est, vbi ex principiis ad conclusiones legitimas progredimur? Audias porro. Nonne Theologi dudum ante me plures vna veritates dicto modo inuenierunt? Dicam de vnica, Nusquam in S. Scriptura legitur, Deum angelos ad imaginem sui creasse. Nihilominus ex principiis Theologicis id per plexerunt Theologi. Ita enim B. Buddeus in Inst. Theol. Dogm. lib. 2. c. 2. §. 30: *Adseri solet, angelos quoque ad imaginem Dei esse conditos.* Difserre equidem hoc in Scriptura S. non dicitur. Ex fine tamen, ob quem conditi sunt, ipsaque natura angelicæ indole, simulque comparatione cum statu hominum, hoc recte colligitur; prout ego id etiam demonstrai Theol. Reu. §. 1170. seqq. Anno igitur hoc, antequam perspiceretur, fuit veritas incognita? Annon hinc porro Theologi, ex principiis Theologicis illud perspiciendo vel deriuando, inuenierunt nouam veritatem Theologicam antea incognitam? Quid autem, quæso, inde periculi extimescendum fuit? Quid perniciet inde ortum est? At non necessarium ad salutem erat, eam veritatem inuenire. Erat tamen vtile ad cognitionis incrementum, quod ad amplius amplificandam gloriam diuinam facit. Quoniam igitur, ætate iam superiore actu a Theologis inuentas esse veritates Theologicas ante incognitas, certum est, cur de possibilitate inueniendi iam dubitas? Nonne ab esse ad posse concludi recte, veritas explorata est? Sed non indigeo operosa disputatione. Formo Syllogismum:

Vbicunque ex principiis cognitis conclusiones ante incognitæ deriuari possunt, ibi possunt nouæ veritates inueniri.

U

Nam

Nam ex veritatibus cognitis incognitas deriuare dicitur inuenire veritates.

Atqui in Theologia Reuelata possunt ex principiis cognitis (puta dogmatibus Theologicis iam exploratis) conclusiones incognitæ deriuari.

Quod ex exemplo allegato constat, ne dicam de illo, quod nulla in eo contradic̄tio sit.

E. In Theologia Reuelata possunt veritates incognitæ inueniri. Quisquis hic præmissis concessit, nec formæ vitio ostendo, negat conclusionem, is Logica se præcepta ignorare ostendit, indigneumque se reddit, cui respondeatur. Explorato igitur, quod a veritate alieni sint, qui omnem veritatum Theologicarum inuentionem detestabilem esse, arbitrantur, cum semper æquum esse iudicem, vt verba alterius secundum veritatem, & sine errore intelligantur & explicentur, quam diu id potest fieri, de inuentione veritatum (ita dictarum) eiusmodi, quæ veritatibus ex S. Scriptura, vel analogia fidei iam exploratis aduersentur, adeoque putativitie, non actu veritates sint, Dnn. Lipsienses loqui, arbitror.

In qua sententia confirmor per sequentia eorum p. 282. verba:

Aber des wegen hat man diejenigen keinesweges zu tadeln, welche sich Mühe geben, die offenbahrten Wahrheiten in einen genauen und der menschlichen Seel gemäßen Zusammenhang zu bringen, dieselben bündiger zu verknüpfen, gründlicher zu erweisen, und NB, wichtige heilsame Folgerungen aus denselben zu ziehen. Man kan dergleichen Arbeit, wenn sie ein geschickter Mann vornimmt, ohnmöglich mißbilligen, man müste denn zugleich alle Bücher, welche die Gottes Gelehrten jemahls geschrieben haben, noch schreiben, und künftig schreiben werden, zugleich verwerfen. So verwegen aber wird wohl niemand seyn.

in quibus temeritatis eos accusant, qui ex veritatibus reuelatis conclusiones utiles deriuare, illicitum esse putant. Taliū autem veritatum nouarum inuentionem in Theologia, quæ aut nullum habeant in S. Scriptura fundamentum, aut ei repugnant, adeoque reuera non sint veritates, sed errores, malam, illicitam, detestabilem esse, concedo & ipse docui in Praef. Diff. de anima Christi p. 4. 5, & in Programmate citato de ratione auctores clas-  
ficos

*sicos legendi Gymnastica* §. II. \* Nil igitur in me, si Dnn. Lipsienses audias, detestabilis, sed in Dn. Opponente temeritas est, dum, quod ad cognitionis incrementum facit, cæco impetu reiecit. Denique (pace Viri, qui recensionem adornauit, celeberrimi hoc scripserim) quid inde, si Dnn. Lipsienses sententiam meanam de possibilitate, nouas veritates Theologicas inueniendi, detestabilem vocassent? Repeto, quod sâpe dixi, ex argumentis, non ex auctoritatibus humanis disputandum esse. Vnum est, quod addam. Cum Dn. Opponenti adserio mea, quod in Theologia reuelata nouæ veritates inueniri possint, tantopere inuisa sit, si ita id intellectum velit, quod ipse non possit veritates nouas Theologicas inuenire, ambabus id largior manibus, concedens, quod ad suffragia tantum aliorum colligenda aptus sit, si id quoque consedi postulet. Nam regularum definiendi non tantum, sed argumentandi etiam se ignarum esse, definitionem sermonis pro qua & muti & bruta pedibus in sensu proprio loquuntur, formando (§. 42.), claritatem notionis ex etymologia aestimando (§. 8.), propositionem vniuersalem sine discrimine simpliciter conuertendo (§. 71. n. 8.), in secunda figura ex puris adffirmantibus concludendo (§. 83.), ne de aliis iam dicam, in singulatibus suis apertissime commonstrauit. At neminem ad veritatum inuentionem aptum esse, nisi qui præter principiorum cognoscendi scientiam in regulis definiendi, concludendi & demonstrandi Logicis versatissimus sit, in Diss. de anima Christi prefat. pag. 7. ostendi,

SCHOL. 3. Superest hoc loco, ut ad illa respondeam, in quibus *Reffonsio ad Dn. Clugius de sâpe dicta Comment. de anima Christi hominis Dn. Oppocandide & ingenuo*, ut ipse de se testatur, sententiam aperit. Scientiam animicæ anaduerso. licet p. 147.\*

1.) Vocab illam fætum Carponianum. Scilicet hoc specimen *nes in meanam amice discepcionis* est, quam Dn. Opponens pref. pag. 15. pro. Commentatoris, & facit autem pag. 150. Fac autem, fœtum esse. Non tamen de a- tamen fœtus monstruosus est. In toto enim iudicio suo præposte- nima Christi, ro & ieuno ne vnicam quidem erroris deformitatem, qua fœtus ille laboret, potuit ostendere. E contrario si in partum Clugianum, qui singularium nomine eruditus se obtrudit, mentis aciem conuertas, dubites, vtrum fœtum videoas, an monstrum? Nil enim in eo, quatenus mihi opponitur, sani, nil recti, nil æqui est, man-

ca, hiulca, deformia, sibi repugnantia omnia, quæ cernuntur, & quod pessimum, lumen debitæ cognitionis & æquitatis ei ademptum est. Quin nomen etiam gerit ementitum. Nam licet singularia Theologiae Carpouianæ inscribatur, minima tamen illius pars Carpouio est opposita, totus autem ne vnicum quidem singulare Theo'ogia Carpouianæ demonstrauit (§. 115.). Si dubitas, si iniuria hac per animi impotentiam scribi queraris, relege iterum singularia, compara, quæſo, cum his inanibus singulariis. Ne vnicum quidem artum inuenies, cuius deformitas non statim cum horrore in oculos incarrat. At si porro Dn. Clugium audias,

24

*an faciat ad  
existimationem  
nem Theolo-  
gorum mi-  
nuendam?*

24 fatus ille, sc. *Comment. de anima Christi ad minuendam Theo-  
logorum nostrorum existimationem & ad Philosophiam Wolffianam  
in cœlum usque eneandam exclusus est.* Quam ridicula & ieiuna  
hæc inculpatio est! quam parum ei inest candoris & ingenuitatis!  
In quonam Theologorum nostrorum existimationem minuere  
conatus sum? An in eo, quod qua Theologi de anima Christi  
doceant, rectissime doceri, falsus sim? An in hoc, quod eandem  
de anima Christi hominis in se spectata doctrinam arduam a mul-  
tis Theologorum (quis enim, omnes me legere vel legisse, postu-  
labit?) non satis exhaustam esse, scripserim (vid. Comm. cit.  
pref. p. 8.)? quod vtterius eandem distincte & solide proponere  
instituerim? Ia fert sapientia Clugiana pag. 147.\* Sic non li-  
cit indicare, quid in certa quadam disciplina ampliore dilucida-  
tionem & explanationem patiatur? nec licet eandem suscipe-  
re, ne existimatio reliquorum eruditorum minuatur? An existi-  
matio vetustiorum eruditorum ex eo pender, quod nil quidquam  
successoribus reliquerint vtterius explicandum vel illustrandum?  
Non ego ita iudico. Metior existimationem vetustiorum ex eo,  
quod vere, distincte, solideque docerunt, & constituerunt. Si  
aliter sentis, vt sentis, probatio tibi incumbit theorematis:

Quisquis quod breuiter ab aliis eruditis dictum est, vtterius ex-  
plicat, ille existimationem eorum minuit.  
Quam si probare non potes, columna est, quod dicitur, non in-  
genua & candida mentis professo. En apertissimam maioris fal-  
sitatem! Nonne, si vera est, omnes, qui Systemata Theologica, aut  
Exegetes S. scripturarum scripserunt, minuerunt prophetarum &  
apostolorum existimationem, explicando vtterius, quod illi dice-  
runt

runt brevibus? Nonne sic B. auctores F. C. & solidæ Declarat. minuerunt existimationem primorum Confessorum nostrorum, adeo, ut hi, si superfluisse, de illata iniuria recte potuerint con queri? Quis est, cui tam ridicula vñquam in mentem venerint? At idem fætus exclusus est ad Philosophiam Wolffianam in cœlum vsque euchendam. Vnde id constat? Ex eo, quod scripsit, neminem de conditione animæ Christi recte präcipere posse, nisi solida veritatum psychologicarum notitia ex Philosophia instruens sit? vid. Comm. cit. Præf. pag. 8. Nouum deformitatis partus monstrosi specimen! Visne intueri? Ita concludit Dn. Oppo nens:

Quisquis docet, conditionem animæ Christi non posse recte explicari sine notitia solida veritatum psychologicarum, ille Philosophiam Wolffianam in cœlum vsque euchit.

Carpouius &c. Ergo.

En quantopere a veritate se commendet maior! Annon anima Christi est individuum animarum humanarum? Est. Omne ens enim existens est individuum. Annon igitur ad indolem animæ Christi recte & distincte perspicientiam opus est, ut cognoscas generatim conditionem animæ humanae qua naturales facultates suas? Quidni? A specie enim ad individuum consequentia valet. Sed vnde doctrina de conditione animæ humanae generatim qua facultates suas naturales haurienda est? Forsan ex S. Scriptura? At S. Scriptura non docet ex instituto veritates philosophicas. Vnde ergo? ex Philosophia. Nam hic est alter cognitionis humanae fons. Ex quam autem illius parte? ex ea, qua speciarium de anima agitur, hoc est ex psychologia. An superant hæc captum tuum? At Philosophia Wolffiana non erat ad cœlum vsque euchenda. Garris. Non ego de Philosophia Wolffiana locutus sum. Nominauit Philosophiam in genere. Sumas principia illa ex quaunque philosophia velis, mihi perinde est, modo principia illa sint vera, certa & inconclusa, ne ex falsis principiis errores intrudantur veritatum Theologicarum nexui. At cur ex Philosophia Wolffiana principia, ad conclusiones S. Scripturæ conformes inferendas, desumere, piaculum est? Quia est falsa? Hoc non probasti. Quia est inuisa? sed eis inuisa est, qui gerunt *Zion & heretici*, quorum intemperientia excandescencia veritati non obest. Quia

U 3

Dn,

Dn. Clugio displicet? Hoc nihil ad rem facit, quia iudex controversiarum non est constitutus. Præterea hoc etiam nosse velim: an Philosophia, ad vera dogmata Theologica distincte explicanda, & solide demonstranda, vti, & eam in cœlum usque uehere, Dn. Opponenti sint forte synonyma? an illa duo se habeant ad se inuicem, vt principium & principiatum? Vnum æque ac alterum probabit Dn. Opponens, quando nox dies, & atrum album erit. At nondum candidæ professionis satis est. Nam Dn. Clugio iudice,

3.  
an sapientia  
illa carere  
possi Theolo-  
gia Reuelata?

3.) omni hac sapientia Carpouiana ( puta iis, quæ de anima Christi, eius facultatibus essentialibus, perfectionibus habitualibus & aliis istius generis docui ) Theologia Reuelata carere potest. At singularibus Clugianis forsitan non potuit carere eruditorum orbis? Scilicet in lucem trudenda fuit ista pseudosapientia, vt nebulis discussa, lux veritatum, quas docui, eo fortius oculos percelleret. Cur autem Theologia Reuelata carere potuit mea de anima Christi commentatione? Dabo rationem unam post alteram, in quibus sibi placet Dn. Opponens.

a.) Theologi nostri, ex S. Scriptura demonstrantes, Christum esse verum hominem, ex anima & corpore constantem, simul omnia ea complectuntur, que ad indolem proprietatesque animæ humanae spectant. Ita sc. illi loquuntur, quibus distincta veritatum, licet arduarum, cognitioni inuisita est, quique saluos se non putant esse, si regnum obcluritatis immittitur. Dicto, quod Christus veram animam humanam gesserit, dici simul, quod anima eius in omnibus essentialibus animæ nostræ similis fuerit, non nego. Sed confessio noua oritur quæstio: quænam sunt omnia illa essentialia, in quibus anima Christi nostræ similis fuit? Hoc ego Diss. cit. cap. I. qua omnia membra explicui & demonstravi. At Dn. Opponens factum id esse, inique & indigne fert, tantoque ideo fervore corripitur, vt ex vniuerso terrarum orbe Dissertationem illam extirpaturum esse credas. Bona verba quæsto! Ab quo animo feram, vt Dn. Opponens eandem legere dedignetur, quia non curat distinctam cognitionem, quæ mihi curæ cordique est.

b.) Theologi doctrinam de Christi anima satis iam persecuti sunt, ex quibus præ ceteris eminent Wernsdorff in Diss. de Christo ho-  
mine

mine sine exemplo, & Walther in disputationibus de dissimilitudine oris nostri & Christi hominis & de Christi hominis ~~analogia~~. Quid igitur opus fuit scriptio Carponiana? De ortu Christi hominis iam non disputamus. Euoluat autem, quæso, lector Wernsdorffium, relegat Waltheri Diss. cit. alteram, comparetque cum mea de anima Christi commentatione, nec tamen, nisi forte ad Dn. Clugii similitudinem expressius sit, mea quoque legisse premitabit. Neque enim Wernsdorffius, neque Waltherus doctrinam de perfectionibus animæ Christi naturalibus vel essentialibus explicavit, videbitque ipse lector, ne de aliis iam dicam, an & quousque perfectissimam Dei imaginem in Christi anima fuisse, ab illis auctoribus sit demonstratum? Quamobrem venia licet a Dn. Opponente non imperata, iterum pro veritate scribo: que alii de facultatibus, perfectionibus singularibus, origine animæ Christi, & aliis eiusmodi tradiderunt, vel nimis abrupta vel nulla esse, donec auctorem, omnia illa, quæ ego docui, complectentem, in medium proferat Dn. Opponens. Sequitur ratio, cur, Dn. Clugio iudice, Theologia Reuelata carere poterit mea de anima Christi commentatione, tercia:

v) Sane si in tradendis Theologie Reuelatae institutionibus opus est, ut proprietates animæ Christi naturales secundum singulas partes describantur, Osteologia quoque sacratissima, Myologia sacratissima & Neurologia sacratissima indiger Theologia nostra, ut feliciter demonstretur, corpus Christi omnes illas partes habuisse, quas anatomici in corpore humano inesse ostendunt. Ita nimirum Dn. Clugius ostendit publice, quam reverenter de mundi Seruatore loquatur, modo habeat, quo suum in me expletat odium! Sed hic quoque impetus inanis est. Ossa & nervos & musculos in corpore Christi fuisse, non ignoro. Et quia corpus Christi nostro essentia simile, ob eamque rationem eadem ossium & nervorum eius conformatio fuit, quæ in nostro corpore deprehenditur, Osteologia, Myologia & Neurologia sacratissima carere posse Theologiam Reuelatam, fateor. At dissimilis anima Christi est ratio. Hæc enim in aliis, puta perfectionibus naturalibus animæ nostræ similis, in aliis, puta in modo originis & perfectionibus habitualibus ei dissimilis fuit, quia & miraculose orta, & imagine Dei primaria instructa fuit (Diss. de anima Christi §. 97.), quæ

qua post fibilem lapum non amplius in nostra deprehenditur (Theol. Reu. § 1317.). Intererat igitur, vt, in quibus anima Christi cum nostra conueniat, in quibus comparationem eius perfectionibus vincat, explicaretur distincte, id quo in mea dissertatione factum est, in qua usum doctrinarum istarum etiam locis debitis exposui §. 57. Schol. 1. 2. §. 97. Sch. 2. At Dn. Opponens ad hanc Psychologię & Ostéologię vel Myologię Sacratissimę differentiam caligans, optime se officio functum esse arbitratur, si ridicula garrulitate, nulla sui lassione provocatus, in innoxium laborem leuiat,

4.  
an anterior ob-  
erectione  
aliorum fa-  
mam sibi  
paratus  
fuerit?

4.) Supereft epiphonema, quo Dn. Clugius ingenuam & canidam suam professionem claudit: Sed ita agendum est iis, qui obreceptione aliorum sibi famam parant, vel philosophie Wolffianae sententias pro veritatis diuinis, pro auro carbones amplectuntur. Quot adseriones inuenio, tot nugas. Nil a me scriptum esse, quod aliis, speciatim Theologis, de quibus hic sermo est, in obreceptionem vel famae imminutionem cedat, iam antea ostendi. Ridicule dicitur, quod famam mihi fuerim paratus, absone, quod cum obreceptione aliorum. Si psychologia sacratissima primum fuisset scriptum, quod oculis eruditorum exponetur, speciem quandam ista exprobatio lucraretur. At cum Theologiam meam non amplius Germania finibus contineri, vulgata apud bibliopolas res sit, ridiculum id commentum est. Quodsi autem ne cum specie quidem veritatis dici potest, quod per psychologiam sacratissimam famam mihi fuerim paratus, absone dicitur, quod fuerim paratus cum obreceptione aliorum. Non entis enim nulla prædicta esse, quis ignorat? Pariter ad obreceptionem de Philosophia Wolffiana iam in superioribus respondi, vnicum hoc iam addens, quod Dn. Opponens, si Wolffianam Philosophiam carbonem esse iudicat, bene sibi consulat cauendo, ne adulatur. Carbones etiam candentes dari, experientia est conforme. Ceterum si forte obreceptione mei, cuius ubique vestigia sunt aperi-  
tissima, per singularia sibi famam paratus fuit Dn. Opponens, malum consilium consulti pessimum esse, feci iam vt intelligat,

§. 118.

## §. 118.

Post longam hanc disceptationem, quam iniqitas extorsit *Responso ad Clugiana*, in viam redeundum est. An. 6, pag. 148. seq. Dn. Opponens fatetur, *neminem sibi notum esse*, qui ex *instituto singularitatem malam vel vituperatione dignam in Theologia mea nota*uerit. At quamvis id ipsum cautiorem in iudicando & condemnando reddere debuisse, longe tamen aliter animo adsestus est. Nam dum, ipso referente, Dnn, auctores der Früh aufgelesenen Früchte P. IV. an. 1737. pag. 186. scripserunt:

Der Satan muß bey iezigen Zeiten was recht arges im Sinn haben, da er mit Eindringung neuer verdächtigen Bibel-Abdrücke, Bibel-Uebersetzungen, Lieder, Gesang-Bücher, Gebeth-Bücher, Systematum, &c. ganz ausgelassen, rasend und toll umspringet, welchen der Gott des Friedens unter unsre Füsse zertreten wolle im kurzen!

*causam se habere*, scribit, *cur suspicetur, Auctores Systema Carponianum his verbis designare*. Non disputabo de eo, an actu se ita res habeat. Conscientia auctorum id relinquo. Fac autem, eos meum Theologia systema designasse, eique iudicio hoc diuissimo cladem voluisse inferre. An Theologia mea a Diabolo est, quia Auctores illi dicunt? An infallibiliter id verum est, quod dicunt? Annon Christum etiam commercii cum diabolo publice accusarunt Iudæi proceres, qui verae religionis defensores acerrimi videri volebant? Sane si, Theologiam meam diabolicae originis esse, iis verbis declarare voluerunt, moneo precorque, vt in se ipsos descendant, vt redeant ad saniores mentem, vt abstineant a iudicio tam execrabilis de eo, quod forsan non legerunt, vel non satis intellexerunt, vt agnoscant iniuriam mihi, nil tale merito, illatam, vt recordentur, cœcum pro veritate doctrinarum zelum æque detestabilem Deo esse Ioh. XVI, 2, 3, ac impietatem apertam, vt denique emendent,

quæ deliquerunt. Si renuant, si in sententia detestabili persifant, quid impedit, quo minus dicam:

Der Satan muß bey iezi gen Zeiten was recht arges im Sinn haben, da er mit Verdächtig-Machung der aller-unschuldigsten Bemühung, welche zu unumstößlicher Befestigung der heilsamen Lehre abzielet, ganz ausgelassen, rasant und toll umspringet, welchen der Gott des Friedens unter unsere Füsse zertreten wolle in kurzen!

Quisquis enim totum librum meum legit, relegitque animo attento, & quo, & a partium studio alieno, ille perspicet & conuincetur, id mihi vbique propositum fuisse, vt veritates salutares, S. Scripturæ & ecclesiæ nostræ conformes, indubie demonstrare, & Theologiam nostram non chaos confusum, nec scopis dissolutis similem, sed certissimum firmissimumque veritatum illius nexum esse, ostenderem; quo pacto fore, vt non animi tantum veritatis cupidi conuincerentur, sed cauillatores etiam sacratissimæ doctrinæ ad silentium redigerentur, confessus sum, vid. Praef. Theol. Reu. Dogm. pag. 20. seqq. An hic conatus a diabolo est? Annon potius diabolica ~~me~~ <sup>odio</sup>ia est, laborem tam salutarem heterodoxias & originis diabolicæ suspicuum reddere, ne imperiti legant, nec conuincantur? An prima vice iam ita ageret diabolus? Annon quoties bonus pro religione conatus suscepimus fuit, toties illum Diabolus in suspicionem prauitatis inducere conatus est? Bone Deus! Quot obtrectionibus diabolus & instrumenta eius ~~de~~ <sup>de</sup> onerarunt, vt doctrinam eius quam maxime salutarem suspectam rediderent hominibus, illorumque emendationem impedirent? Quid accidit Lutherò, emendationem ecclesiæ fortiter cum Deo adgredienti? Audi ipsius verba ex præfat. Artic. Smalcald. pag. 299. seq.

Debe-

Deberem quidem ad omnia respondere, dum adhuc viuo. Sed queso quomodo omnia diaboli ora obstruere solus possum? praesertim eorum (utpote venatorum omnium), qui nec audire, nec attendere volunt, quid scribam, sed in eo toti sunt, ut verba nostra etiam in minutissimis litteris scelerate peruertant & depravent. His ergo diabolus respondeat, & tandem ira Dei, quemadmodum merentur. Sape recordor boni Gersonis, dubitantis, nunquid boni publice scribendum & proferendum sit. Si scriptio omittitur, multe anime negliguntur, que liberari potuissent. Si vero illa presulatur, statim diabolus presto est cum linguis pestiferis, & calumniarum plenis, qua omnia corruptunt, & veneno inficiunt, ut utilitas scriptorum impediatur &c.

Equidem nec illi τὰ ὑποδηματα βάσισαι me inarv, nec huic similem iudico. At iniustis tamen accusationibus pressus non possum non talia in medium proferre, ut, proposita diaboli in bono impediendo astutia & calliditate, desinant cum summa acerbitate calumniari, qui nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum bonumque esse iudicant. Fac enim, quod tamen ne vnioco quidem argumento probatum est, in uno vel item altero, non tangentे fundamentum fidei, me errasse. An propter vnam & item alteram mendam leuiorem totum opus, reliqua innocentium, instinctui diabolico tribuendum est? Quis vñquam nisi ab omni humanitate, ne dicam charitate Christiana alienissimus sit, ita iudicauit? Annon omnes sumus homines? annon errare, labi humanum est? An vllum Systema Theologicum sine omni vel leuiore menda esse putas? Annon igitur si ita iudicas, omnia Systemata Theologica originis diabolicae sunt? Horret animus talia scribenti. Sed vt reprimam malignitatem, ut vindicem innocentiam, pro defensione scribendum est. Diccam verbo: Si tam execrabilis iudicio Theologiam meam suspectam & inuisam reddere conati fuerunt, contra quos scribo,

rationem illius coram iustissimo iudicio diuino olim se reddituros esse, cogitabunt. Vid. Theol. Reu. Præfat. pag. 24. Contra ea vero si auctores Diarri citati ab acerbissima ista obiurgatione alieni sunt, hæc etiam, quæ pro defensione scripti, aliena ab illis esse volo. Neminem enim vñquam lassurus sum, modo ipse a lassionibus aliorum sim tutus.

## §. 119.

*An auctor excusatione ob Theologiam suam opus habeat?*

Quemadmodum nil sapientis adhuc contra me in scenam produxit Dn. Clugius, sic in seqq. eadem oberrat chorda. An. 7. p. 149. profert momenta, quæ excusabilem me reddere videri possent. *Atropos conatus!* Omnis excusatio supponit defectum recti, quoniam vbiunque nihil erratum est, stulta est excusatio. Dum igitur de momentis excusationum, a me proferendarum, disputas, quaro ex te: vbi in Theologia mea errores sint? Si prouocas ad singularia Tua, exponis te ludibrio audientium. Nam quot in illis propositiones mihi oppositæ sunt, tot esse deformitates, adeo, vt totum opus monstrum tam simile sit, vt ouum ouo, inde a principio ad hunc paragraphum usque abunde demonstrau. Si ad iam facta iudicia aliorum, nihil agis. Aliorum enim iudicia de opere meo mihi fauent (§. 117.), & quidquid in iis mihi aduersum fuit, vel esse tale videbatur, ea omnia sufficierent, vt nil amplius desiderari queat, discussi (§. 117. Sch. 1. 2. §. 118.). Si ad iudicia aliorum futura, quos infolentia & proteruitate tua ad sententiam contra me pronunciandam compulsurus es, habes responsum datam in superioribus (§. 116.). Si denique ad auctoritatem tuam Theologicam, morem accusatorum Christi imitatus Ioh. XII X, 30, nosci, de nulla re minus, quam de hac, me esse solicitum. Tam misero enim specimine edito, curabunt eam erudit, vbi a rationis sanæ usu abhorre incipient. Quoniam igitur nullus adest error, de momentis excusationis disputare, inane erat & ridiculum,

## §. 120.

## §. 120.

- Audiamus autem, quænam sint illa excusationis momenta, *Animaduer-*  
*quæ Dn. Clugio forsan prolaturus videor: Dicere me posse, dicit: So in excusa-*  
  1. *neminem in Theologia concinnanda ad sententias & methodum* *tionem pri-*  
*Wolffii præsto fuisse, cuius vestigia premere licuisset.* *mam quam*  
<sup>finxit Dn.</sup>
  2. *nec a usu proprio, sed iussu Principis Serenissimi opus hoc a me* *Opponens:*  
*suscepimus esse.*
  3. *Non animo tranquillo quietoque, qualis quidem in tam arduo*  
*negocio esse debebat, sed turbulentu[m] afflictu[m] opus hoc esse*  
*exaratum.*

Vnde hæc desumpta sunt excusationis momenta? Ultimum ex Th.  
 Reu. præfat. pag. 6, alterum ex præf. cit. pag. 5. 6, primum ex l. c.  
 pag. 1, vbi moneo tamen, quod Dn. Opponens intrudat: *ad sen-*  
*tentias Wolffii;* quæ a me posita non sunt verba. An igitur Op-  
 ponens his excusationum momentis, si forte iisdem vterer, (non  
 vtrum autem, quia nulla vtrendi necessitas est §. 119.) locum est  
 relicturus? Minime! Tanta est mentis durities, vt nulla ex-  
 cusatione delictum, Theologia Reuelata edita (si Diis placet!)  
 commissum, tegi posse, lectori sit persuasurus. Respondet  
 enim, licet nomine aliorum, ad primum p. 150:

*me in tradendis Theologie reuelate institutionibus, posibilitatis*  
*sententiis methodo quoque Dn. Wolffii, solam scripturam sacram mi-*  
*bi normam deligere debuisse. Quod si factum esset, non defu-*  
*turos fuisse, quos sequi potuissent, duces.*

Ad sententias Dn. Wolffii Theologiam meam efformatam esse,  
 nego. Efformata est ad sententias S. Scripturæ, quam sequi non  
 est, credo, hæresis nec crimen. Scriptam autem esse ea me-  
 thodo, qua Ill. Wolffius vtitur, fateor. At non propter au-  
 toritatem Wolffii, sed quia recte rationi conformis est, ea sum  
 ysus; de quo deinceps pluribus acturus sum. Sine sensu autem  
 scribit Dn. Opponens, quod quæ methodum etiam solam S. Scrip-  
 turam mibi normam eligere debuerim. Vbi enim S. Scriptura  
 docet

docet methodum, qua veritates Theologicæ tractari debeant? Regulas autem methodi, Theologica tractandi, nusquam præscribente S. Scriptura, nec potui easdem sequi. Quodsi vero ea methodo mihi scribendum fuisse, dicas, qua ipsi Scriptores S. vti sunt, cur mihi soli, id non fecisse, crimen est, Theologis non item? Nusquam enim Scriptores S. dogmata sua ad quatuor causarum genera reuocarunt, nusquam terminis metaphysicis inuoluerunt, nusquam ad eundem locum pertinentia in vnum caput congererunt; qua omnia haec tenus sine crimine fecerunt Theologi. Quid igitur inane hoc sibi postulatum vult, quod qua methodum etiam solam S. Scripturam mihi normam eligere debuisssem? Respondet ad secundum:

*in secundam.* Serenissimo Principi me imbecillitatem meam & imperitiam in rebus Theologicis omni animi submissione aperire potuisse. Nec enim futurum fuisse, vt Princeps Serenissimus ab artium Magistro Systema Theologicum vi quadam extorqueret.

Ita vero iam denuo intelligere datur, quam amice & candide mecum Dn. Opponens agat! Etiamsi enim ipsum non fugiat, iam ante vndeclim annos, quo tempore ipse tenellos in schola agnos pauit (vid. Cel. Haferung. Programma ad Cel. Zeibichii Diss. de vnu formulæ, qua interrogamus infantes ante sacram lotionem de fide 1734.), cum philosophia Theologiam me studiosos Academicos, neque ad ductum alienum, sed secundum præcepta propria docuisse; etiamsi dimidiam Theologiæ Dogmaticæ partem, cum summa Dnn. Goettingensium & Lipsiensium aliorumque adprobatione, quam non potest ipse negare (§. 117.), oculis eruditorum exposuerim, noua ratione ita eam tradens, vt, ipso OppONENTE fatente, nemo fecit ante me; vnde facultate, Theologicum Systema conscribendi, per Dei gratiam me præditum esse, vel stupidissimus perspicit: ille tamen pro malevolentia sua & pruritu fugillandi, quod imbecillitatem & imperitiam meam Principi Serenissimo (quem Deus seruet!) aperte

rire debuerim, postulat, sine dubio sibi persuadens, a Magistro talem laborem non exspectandum, sed eruditionem Theologicam & facultatem, Systema Theologicum exarandi, solis Theologjæ Doctoribus, qualis est ipse, cum insula locatam esse. Falleris autem, Bone Vir, & vti ignoras distinctionem inter Theologum eruditione & officio vel dignitate externa talem, ad quam attendendum fuisset, ita optine honori tuo consuluisse, imbecillitatem tuam & imperitiam in rebus Theologicis & Philosophicis omni animi submissione iis aperiendo, qui ante honoris altius fastigium refutationem Theologia mea a te expectarunt. Namque si tacuisses, Theologus & Philosophus mansisses, cum e contrario, futilitate singularium tuorum in apricum producta, quantum sit quod nescias, omnes intelligent. Denique responderet ad tertium:

*in tertiam.*

*Animo ita affecto, ab omni hoc (Theologiae Reuelatae exaranda) opere abstinentem fuisse.*

Sed hæc talis est causa, in qua ab arbitrio Dn. Opponentis non pendo. Sufficit, nil esse adhuc dictum, in quo Theologia mea erroris conuincatur.

### §. 121.

Enim vero iam nodum controversiæ non soluturus, sed secaturus est Dn. Opponens. Quid ita? Postquam hactenus acto-sententiam rem egit, & ad iudices Theologos, me licet nondum auditio, condemnauocauit (§. 116.), veritus iam, ne forte, defensione a me *tioriam Dn.* suscepta, ab erroribus me absoluant ii, qui veritatis amantes, *Opponentis.* & a partium studio alieni sunt, deposita iam actoris persona, iudicis induit propria auctoritate habitum, atque ad me condemnandum confessim progreditur an. 8. pag. 150. Egregium sane amoris & candoris, quem toties de se prædicat, specimen nouum! Ad quid autem condemnor? Ad librum emendandum. Ita se enim habet sententia condemnatoria an. 8. p. 150:

*Ergo*

Ergo emendatione opus est, idque eo magis, quod non solum ipse ad emendandum neminem se promptiorem fore, in Prefat. promiserit, sed etiam inceptum eius cum non exigua aliorum offensione coniunctum sit.

Quæ sunt igitur condemnationis rationes? Lego has:

1. quod in Prefat. Theol. Dogm. pag. 23. pollicitus fuerim, si quis modeste & amice moneat, quid a veritate alienum esse putet, docilem me fore, immo ad emendandum promptissimum.
2. quod Dn. Opponens & id dederit imprimis operam, ne quid baberem, quod in candore vel amore eius desiderare iure quodam possim, & ostendisse se credit, quod singularia Theologie Carponiane cum sacris litteris, libris Symbolicis, & dogmatibus, in ecclesia nostra receptis magnorumque virorum auctoritatibus sufficiunt, non consentiant omnino.

Risunne an miseratione hæc excipienda sunt? Promisi emendationem, fateor. At sub qua conditione? an ad obstrepentes quascunque & futilis animaduersiones? Absit! Ita enim quotidie noua & iterata emendatione, aut, vt dicam rectius, deprauatione opus esset, quia quot capita tot sensus sunt. Ita potius se habent verba mea pag. 23:

*Si quid autem præter opinionem alienum a veritate exciderit, omne id irritum & non scriptum volo, petoque a lectorre Christiano & candido, vt more Christiano, b. e. amice, & candide, sine acerbitate aut contumelia errantem moneat, corrigat; promptiorem enim me ad emendandum, in quibus forte erratum fuerit, inueniet neminem.*

Postulo igitur, vt amice candideque sine acerbitate & contumelia erroris conuincar prius, quam ad emendationem operis me accingam. At neutrum horum Dn. Opponens præstitit. Ne in unico quidem momento convicit me erroris, nec potuit conuincere, quia quidquid oggappniuit, inane, futile, absonum, ridicu-

ridiculum, falsum esse, ex omnibus Tractationis paginis sole mediano clarius elucescit. Quo se habente ita, postulantibus ita singularibus, librum mutare, non emendare, sed corrumpere, deturpare, fœdare esset. Quod absit, vt Dn. Opponente impulsore faciam! Quin etiam nec candide, nec amice, sed cum acerbitate & contumelia mei singularia sua in lucem protrusit. An meras logomachias vt dissensum realem lectori obtrudere (§.22.sqq.44.sqq.)? an verba alterius mutilate exhibere & repetere (§.112.123.)? an ad iudicem prouocare, & ei tamen qui sine spe emolumenti pro conscientia sententiam dixit, illudere & insultare (§.116.117.)? an res nullius momenti (v.g. vtrum thesi vera vereque demonstrata locus adiectus sit, nec ne?) sub singulatum nomine infesto perstringere (§.54.93.94.)? An alterum ex capitibus talibus, quæ ipse doces & defendis, inculpare (§.17.52.)? an agnoscere dissensum ab Ill. Wolffio (§.128.) & efformacionem tamen Theologiae ad Philosophiam Wolffianam vbiique crepare? an ex vtraque parte id, quod innoxium est, reprehendere & culpare (§.86.87.)? an, inquam, hoc omne, ne dicam de aliis, candide agere est? Malignitatem cum candore pro vno eodemque habeat, necesse est, qui ita sentit. At hæc omnia sunt illa, quæ in singularibus Clugianis deprehenduntur. Porro qui operam se dedisse dicit, vt ageret mecum amice, nulla iniuria prouocatus, ne verbulo quidem laesus, correptum & excecatum me esse amore Philosophie Wolffiane intempestivo p. 95. 68, nihil tam a sacris litteris & sobrie principiis philosophie alienum in philosophia Wolffiana tradi, quin ego illud in Theologiam meam Reuelatam transferendum putarim p. 89, malle me cum Wolffio, sacras litteras per transennam adspiciente, errare, quam cum non sequi p. 69, omne id, quod Dn. Wolffium auctorem vel commendatorem habet, mibi celebre esse, licet in se valde ridiculum & absurdum sit p. 101, c. uendum a Theologia Carponiana pag. 88, eiusque auctorem in principio Hermeneutica sacre interpreti Werthei-

mensi adiungendum esse p. 88, cum obtrectatione aliorum me famam mihi parare velle p. 148, imbecillitatem meam & imperitiam in rebus Theologicis coram Principe Serenissimo profitendam mibi fuisse p. 150. audacter publice scribit, & parum abest, quin detestabilem me esse pag. 148, & Theologiam ex diaboli suggestione accepisse & scripsisse, calumnietur pag. 149, prouti aperte ad libri emendationem, nullo licet errore ostendo, me condemnat p. 150. Hoccine amice agere est? Tecum habites & expendas, quo animo latus sis, si talia tibi a me, nulla re laeso, accidissent? An amice me egisse dices? At si quid propter opinionem & necessitatem acerbius dictum fuerit, defendi & emolliendi facultatem lectoribus concedit Dn. Clugius, aut monitus ipse emollier, mutabit. Inanis & puerilis haec excusatio est. Licetne alterum, qui te non laesit, nec tale quidquam meruit, pugnis cädere, & monitione interpolita profiteri velle, quod inique factum sit? An non a laesione vt corporis, sic famæ etiam & existimationis alterius abstinentum esse, ante debebas scire? An tam ignarus omnium rerum es, vt per te nescias contumeliosum ab amica admonitione discernere? vt egeas instructione aliorum, qui ipse alios doces publice? Cur tantam simulas imperitiam, nisi eam ob causam, vt excusatius in me debacchari liceat? At in hoste etiam veritas agnoscenda est. Non potest id mihi exprobrari. Agnoui enim in superioribus omne, quod verum dixit Dn. Opponens. Tantum abest, vt negauerim, vt aliis argumentis sàpe sufficiuerim. At vero de illis quæstio non est. Est de iis, quæ mihi opposuit. Nego, in iis quidquam sani rectique esse, quia absonta esse omnia, demonstratum est. Sublati igitur, destructi, dirutisque condemnationis fundamentis, quid condemnatione sua proficit Dn. Opponens? Hoc, vt judicem condamnantem ineptum se esse, ostendat, quemadmodum accusator fuit iniquus.

§. 122.

## §. 122.

Ceterum dum de futilitate rerum suarum conuictus, & ad *Discusso* incitas iam redactus, Dn. Clugius in eo tandem malæ causæ præ- prouocatio- sium querit, quod *in animos imperita iuuentutis singulares nis ad aucto-* *Theologie meæ sententias me, nec ullis deterritum interdictis, clam ris aduersa-* *insinuasse*, garriat p. 150, non intelligit, quid dicat? Nescit, quid sin- gulaire sit? Nullum Theologiæ meæ singulare, vel ut clarius di- cam, nullum illius errorem probavit (§. 15.), nec probare potest, quia quidquid aduersus me dixit, absconum est & ridiculum. Qua fronte igitur, singulares sententias Theologiæ meæ in ani- mos iuuentutis imperitæ me clam insinuasse, audacter scribit? Docui Theologiam, fateor, nec Ienæ tantum, sed etiam Vina- ria, PRINCIPE SERENISSIMO veniam studiosos docendi cle- mентissime concedente. Quin etiam adhuc pro officii deman- dati ratione doceo. Fateor etiam, methodo singulari, & a Theo- logis non adhuc recepta, i. e. tali, qua nexus veritatum vna cum veritatibus perspiciat, me docuisse. At singularia, vel ut pro mente Dn. Opponentis aptius dicam, falsa & erronea me docuisse, nego & pernego, & per calumniam hæc, donec probentur (quod numquam fieri) dici, adsero. Frustra ad aduersarios meos, eas- dem calumniarum tibias tecum inflantes, prouocas. Quæ enim contra eosdem in præf. Theol. Reu, alibiique scripsi, non scrip- si, nisi pro veritate; quin pauciora scripsi, quam pro veritate & defensione necessaria scribere potuissem. Nam testibus desti- tuti omnibus, nec habentes ullum ex scriptis meis, quem op- ponant, errorem nocuum Theologicum, nullum eorum pro- barunt, quos obtruserunt invito, nec unquam probare poter- runt, id potius olim agentes, vt falsis accusationibus, vocifera- tionibus, contestationibus inauditum supprimerent. Quem agendi modum si *injustum & crudelem esse iudicas p. 151*, nil mea refert. Sufficit, ita factum esse. Qui autem de iustitia facti iudicium latus es, iudica etiam de hoc; an iustum est,

ex apographo scripti, vel per malitiam vel per scribæ incuriam de-  
prauato, nec cum originali collato, neque ab auctore viso, nec le-  
cto, nec agnito, inauditum auctorem errorum perniciosorum ac-  
culare & perniciem eius acerrime vrgere, maxime dum scriptum  
originale clarissimis verbis oppositum illorum continet, quæ  
apographum continet erronea? an iustum est, ob tales errores  
factos innocentem in orbe eruditorum diffamare? Taceo alia.  
Ignoras hominum indolem, si eos semper iuste putas agere, de  
quibus iustitia factorum erat præsumenda,

*Monitum.*

SCHOL. Famæ aduersariorum parsurus, nolle de hac re vi-  
terius scribere, si tacerent, qui mihi infessi sunt. At quia hi tan-  
topere gloriantur in epistolis, ad aulas SERENISSIMORUM ab  
aduersariis meis datis, quibus errorum fuliginem Theologiae meæ  
afficare conati sunt, vt in uno & item altero iam legi scripto  
eristicō, moeo, ne iteratis prouocationibus ad eas vna cum  
apologiis meis & Rescripto AVLÆ VINARIENSIS absoloritorio  
foras dandas me compellant. Ruinoſo enim, quin nullo fun-  
damento prouinciations publicas superstruere, non stultum tan-  
zum, sed etiam iniquum est. Probent, si possunt, errores mihi  
objectos Theologicos, sed non per insidiosas obtrectationes, ne-  
que per calumnias apertas, neque per contestationes irreligiosas,  
neque per inanies ad auctoritatem suam aut conscientiam prouo-  
cationes, sed debite & legitime, & exspectent, quid ego pro  
defensione sim responsurus? Neque enim animum, nec vires de-  
esse, vident, ad retundendam eorum malignitatem, quibus in me  
fœuire volupe est. Si non possunt probare, quid sibi volunt ineptæ  
commemorationes flebilium expositionum, quas ego falsas accu-  
sationes esse dico pro veritate? Sane non facile occurret tam ri-  
diculus & absurdus inculpandi modus, ac hic est. Vna enim ad-  
uersariorum cohors, in probatione errorum aduersus me deficiens,  
prouocat ad alteram, altera autem, eodem deficiens modo, pro-  
vocat rursus ad priorem, vt nescias tandem, quid garriant. Quid  
autem quæſo lector prudens exinde colligit? Calumnias, non ve-  
ritates esse, quæ dicuntur.

§. 123.

## §. 123.

Superest ictus supremus. Dn. Opponens pag. 151. sententiam *Discussio po-*  
*iam est dicturus, quid mihi agendum sit, defensionem molienti? sylatorum*  
*pariter ac si discipulum eius me professus, regulas disputandi ab reliquorum,*  
*ipso exspectarem. Quid igitur fert noua hæc sapientia? Ipso*  
*iudice,*

*id mihi agendum est, ut definitionem creationis, definitionem ni-*  
*bili priuatiū & negatiū, item sententiam de creatione ex nihilo*  
*priuatiū magnorum Virorum auctoritatibus suffulciri doceam,*  
*deinde ex scriptura S. & libris symbolicis proferam argumenta,*  
*quibus ea muniam, que de communicata cum apostolis potentia*  
*miracula edendi, de aeternitate mundi possibili, de operibus crea-*  
*tionis, via naturali factis & secundum principia physices expli-*  
*candis, scripserm.*

Cur hoc?

*quia ne verbum quidem in opere meo positum esse, dixerim,*  
*quod aut scripture S. aut libris symbolicis, aut dogmatibus, in*  
*Ecclesia nostra receptis magnorumque Virorum auctoritatibus*  
*suffulcis, aduersetur.*

Video hic nouam verborum mutilationem. Non enim sic dixi  
 simpliciter, sed imbecillitatis humanæ memor, scripsi ita præf.

Pag. 23:

Ne verbum quidem NB. DATA OPERA positum esse, quod  
 aut Scripturæ S. aut libris symbolicis, aut dogmatibus, in Ec-  
 clesia nostra receptis, magnorumque Virorum auctoritatibus  
 suffulcis, aduersetur, certo convictus sum.

At candor, de quo Dn. Opponens toties gloriatur, tales mutila-  
 tiones postulabat. Quod autem ad rem ipsam attinet, etiamsi  
 modum defensionis ab OppONENTE mihi præscribi non patiar,  
 id tamen, quod postulat, quoad iure potuit postulare, in supe-  
 rioribus copiose est præstitum, ad quæ ipsum, ne superuacua  
 repetitione tempus teram, remitto.

Y 3

§. 124.

## §. 124.

*An liceat  
Theologiam  
ad methodo-  
dum Wolffii  
accommo-  
dare?*

At non in his subsistit Dn. Adgressor, sed noua etiam postulata format. Postulat enim p. 151. *vt e S. Scriptura & libris Symbolicis ipsi demonstrem,* quod liceat Theologiam Reuelatam ad sententias Dn. Wolffii refergere & quod Theologia Reuelata ad effigiem philosophie Wolffianae expressa pro Theologia Lutheranorum haberi possit? idemque postulatum repetit scribens:

*Locum nosse velim, vbi pii Confessores ad sententias methodum que Dn. Wolffii vel alterius cuiusdam philosophi Theologiam Reuelatam conformari posse, confiteantur?*

Quot verba lego, quibus pungendus sum, tot inania. Respondebo autem ad singula, confusionis evitandæ ergo, scorsim. Si de conformatione Theologiæ ad Philosophiam Wolffianam loqueris, aut intelligis conformatiōnem qua methodum, aut qua dogmata. Fac, de conformatione qua methodum sermonem esse. Methodus Wolffii se ita habet, vt 1. præmittantur definitiones, axiomata, postulata, experientiæ, h. e. principia cognoscendi indubia, 2. ex iis per legitimum concludendi modum conclusiones proximæ, 3. ex proximis vteriores deriuentur ita, vt nexus Logico una veritas principium alterius est; quo facto, non ipsa veritas tantum extra dubium collocatur, sed nexus etiam, qui inter veritates intercedit, perspicitur. Quisquis igitur methodo Wolffii Theologiam tractaturus est, eum dicta ratione (modo discedas ab eo, quod in Theologia Reuelata effata etiam S. Scriptura euidentia & clara ex numero principiorum cognoscendi indubiorum sint Theol. Reu. præf. p. 18.) veritates Theologicas proponere oportet, & dum Dn. Opponens, methodo Wolffii Theologiam me adornasse, pro crimine habet, eo ipso ea me methodo veritates Theologicas tractasse, concedit. Si queras igitur ex me: *an liceat bac methodo Theologiam Reuelatam tractare?* quæro iterum ex te: *an igno-*

ignores, quid licitum dicatur? Licitum dicitur quidquid vetitum non est. Adsero igitur, licitum esse, ut Theologia illa methodo pertractetur, quia eiusmodi veritatum Theologicarum tractatio nusquam est vetita. Si vis, ut probem, vetitam non esse, impingis contra regulas Logicas. Non enim neganti, sed adfirmanti probandi onus incumbit. Tuum igitur est, ut ostendas, vetitam illam, vel legibus repugnantem esse. Si queris: an Theologia possit illa methodo tradi? quaro iterum: utrum de possibiliate physica loquaris, an de morali? Si de physica loqueris, recordare quæso canonis, quod ab esse ad posse valeat consequentia. Dum igitur concedis, Theologiam actu dicta methodo a me esse tractatam, concedendum est etiam, quod qua possibilitatem physicam in se possibile sit, ut ita tractetur; ubi tamen facile id vicissim tibi concedo, non posse ita a te tractari, si id quoque concedi postulas; quæ vero impossibilitas non absoluta, sed respectiva est. Si de morali, eadem est quæstio cum præcedente: an liceat Theologiam ea methodo tractare? ad quam iam est responsum. *Hoc, inquis, quæstio est: an Theologia reuelata, ad effigiem Philosophie Wolffianæ qua methodum expressa, pro Theologia Lutheranorum haberi possit?* Ita vero! Noui quid audio, & singulare, in hunc diem usque nondum auditum. Lutheranismus non dogmatibus nititur, sed methodo, neque Ecclesia Lutherana per dogmata, sed per methodum ab aliis sectis differt. Methodus diversa tantum peperit religionum diuortium. Dum igitur methodus est arbitraria, dum nihil de ista in S. Scriptura constitutum est, quidni perinde iudices esse, sive Lutheranæ, an cuilibet alii sectæ addictus? Non illud exspectassem a Theologiæ Doctore. Si negas, hanc mentem tuam esse, quid formas quætionem ridiculam: an Theologia, alia methodo, quam adhuc factum est, adornata, vel ad effigiem Philosophia Wolffianæ qua methodum expressa, pro Lutherana haberi possit? Si Theologia, ad methodum causalem

salem Philosophorum Scholasticorum adhuc tradita, pro Theologia Lutheranorum sine offensa habita fuit, cur non pro Theologia Lutherana habeas, quæ ad methodum Mathematicorum, qua nulla est mentis humanae indoli conuenientior, nulla ad veritates iniuste proponendas, nulla ad verum a falso, certum ab incerto discernendum accommodatior, saluis veritatis ipfis traditur? An methodus veritates variat? an mutat? Vnicum est, quod oppugnatores mordere videtur. Non habet ars osorem nisi ignorantem. Sane, quæ legi, specimen definitionis de sermone proprio tali (§. 42.) & demonstrationis Theologicæ de æternitate decreti creationis p. 99. ita se habent, vt peritia Logica ab illis aliena sit, cum illa definitio latior sit, hæc autem principiis nitatur precariis, qualia genuina demonstrationis indoli repugnant. Ne dicam, tot fere vitia Logica singularium esse, quot in illis mihi propositiones sunt opposita. Sed postquam de methodo satis in Praefat. Theol. Reu. dixi, & Dn. Adgressor ne verbulum quidem ad illa infringenda proposuit, desino de hoc disputare, addito hoc vniico, quod cum neque S. Scriptura, nec libri Symbolici de methodo veritates Theologicas tractandi quidquam præcipiant, methodi eruditum postulare, maxime eius, quæ cum euidentissimis utilitatibus inseparabiliter coniuncta est, sanæ rationi sit repugnans. In his autem responsionibus si adquiescere recusat Dn. Opponens, non ego reluctabor, si suas methodi leges, in quibus tamen locus non potest dari his, quod claritas notionis ex etymologia vocis æstimanda sit (§. 8.), quod definitio definito debeat esse latior (§. 42.), quod omnis propositio vniuersalis simpliciter conuerti possit (§. 71.), quod in secunda figura ex puris adfirmantibus recte concludatur (§. 83.), quod veritas ex persona dicentis & copia suffragiorum æstimanda sit (§. 31. 48. Sch. 2.), & quæ sunt alia istius generis, eruditorum orbi exponere, consultum puret. Facile enim dissentientem fero, modo ab iniuriis se abstineat.

§. 125.

**SCHOL.** Aduersus applicationem methodi mathematicae ad *An propter* Theologiam solet etiam ab aliis, ut non ita pridem in Diario quo- *prolixitatem* *methodus* *introducatur.* Nec diffendum est, quod, cum hac methodus de- *mathematica* *conclusionem* ex principiis suis legitimam postuleat, *ca a Theolo-* non possit non maior inde prolixitas oriri, quam vbi in solis con- *gia arcenda* clusionibus, uno & item altero loco confirmatis, adquiescas. *Hoc sit?*

autem, si quod est, prolixitatis incommodum variis commodis compensatur. Nam primo quia secundum hanc methodum con- *clusiones* ex principiis, ex quorum numero ante omnia definitio- *nibus*, deriuantur, definitions autem sunt notiones rerum di- *stinctarum*, ipsa etiam haec methodus facit ad cognitionem distinctam; cum e contrario confusa tantum cognitio sit, vbi, omisis definitionibus, in meris heræas conclusionibus. Deinde per hanc me- *thodum*, quibus principiis quelibet conclusio innaturat, adeoque cum ratione & sapienter a Deo adserita esse, quæ in S. Scriptura adserit, perspicitur; cum e contrario, positis solis conclusionibus, *ex S. Scriptura cognitis*, de veritate quidem earum dubitandum non sit, attamen cur Deus ita nec aliter hanc veritatem consti- *tuerit?* non perspicatur. Quibus accedit, quod dissentibus la- *bor* discendi longe facilior reddatur, vbi nexus veritatum perspi- *cunt* realem, quam si non-coherentia sint tantum memorie im- *primenda.* Quibus aliquique de causis ratio non est, cur prolix- *tatis* causa methodus scientifica a Theologia arceatur,

## §. 125.

Dictum hoc est de conformatione Theologiae Reuelatæ ad *An licet* Philosophiam Wolffianam ratione methodi. Dicam etiam de Theologiae conformatione ratione doctrinarum, Videndum est autem prius, *ad senten-* *tiæ philoso-* *phie Wolffia-* in quo illa consistat. *Doctrina A* conformatur *ad doctrinam B*, si *B* *adsumatur* pro norma, illique *A* conueniens reddatur. Poteft *ne accom-* *modare?* autem *doctrina A* *doctrina B* duplice respectu conueniens esse, vel ita, vt ex illa sequatur, vel ita, vt saltim non repugnet. Si quis igitur Theologiam reuelatam ad Philosophiam Wolffianæ dogma- *ta* conformare vult, opus est, 1. vt Philosophiam Wolffianæ dogmata adsumat pro norma, 2. doctrinas, ex S. Scriptura vel

analogia fidei exploratas, secundum eadem examinet, 3. mutet eas, reiiciatue, si vel  $\alpha$ ) non possint ex ipsis deriuari, vel  $\beta$ ) sal-  
tim si repugnantia vera inter has illaque intercedat. Ad quo-  
rum vtrumque casum speciatim attendendum est. Quæritur  
igitur I. an Theologiam reuelatam ad Philosophie Wolffiane sen-  
tentias ita conformare liceat, ut quocunque illius dogma ex Phi-  
losophie Wolffiane principiis non possit deriuari, mutetur vel rei-  
ciatur? Nemo inquam rerum intelligens tam ab omni mente  
fana alienus fuit, qui hoc diceret sentiretue. Ipse ill. Wolffius  
Theol. Nat. P. I. §. 463, in vera reuelatione diuina mysteriis, que  
ex principiis rationis demonstrari nequeunt §. 459, locum esse, de-  
monstravit, addiditque in nota hæc verba: *Probe notandum est,*  
*quod inter characteres reuelationis diuinae continentur mysteria,*  
*ut adeo absolum sit, ob eadem illam in dubium vocare vel prorsus*  
*impugnare velle, quemadmodum faciunt Antiscripturarii, religionis*  
*Christiane ac reuelate omnis hostes.* Et quemadmodum idem  
ego docui Theol. Reu. §. 43, sic omnibus sensibus orbus sit,  
necessæ est, qui lecta & intellecta Theologia mea, a nefando  
conatu isthoc alienissimum me esse, non intelligat. Annon S.  
Scripturam esse credendorum & agendorum saluando normam  
(Theol. Reu. §. 220,), eamque infallibilem, & indubitate  
(Th. Reu. §. 222. seq.), & normantem, h. e. supremam (l. c.  
§. 224.), & vnicam, clarissimis verbis demonstrauit (Theol. Reu.  
§. 270.)? Annon, ne de pluribus aliis iam sermonem protra-  
ham, doctrinam de S. S. Trinitatis mysterio arduam & funda-  
mentalem, quæ omnium consensu supra rationis & Philosophiæ  
limites posita est, ita explicauit & demonstrauit, vt Ecclesia Chris-  
tiana explicat & docet (Theol. Reu. §. 781, seqq.)? Annon ibi-  
dem sacratissimam doctrinam istam supra rationem quidem &  
mysterium (Theol. Reu. §. 872, seq.), at nullo modo ideo ne-  
gandam esse, ostendi (Theol. Reu. §. 874.)? Impudenter igi-  
tur calumniatur, quisquis hoc sensu Theologiam reuelatam ad

Philo-

Philosophiæ Wolffianæ dogmata me conformasse, dicit. Quæris  
 2. an Theologiam Reuelatam ad Philosophiæ VVolfßiane sententias ita  
 liceat conformare, ut quodcumque illius, vel ex S. Scriptura vel ex  
 fidei analogia exploratum, dogma sententiis Philosophiæ VVolfßie  
 repugnet (loquor de contradictione vera, quia adparens nihil  
 ad rem facit), mutetur vel reiciatur? Distinguo (non inculpan-  
 di, sed methodi causa) inter dogma Philosophiæ VVolfßiane verum  
 & erronum vel falsum. Si de priore quæras, nego, casum esse  
 dabilem, vt inter dogma Philosophiæ Wolffianæ verum & ve-  
 ritatem, ex S. Scriptura vel analogia fidei exploratam, vñquam  
 contradictione intercedat. Nunquam enim veritas veritati ad-  
 uersatur, quod nemo non concedit, sed semper contradicto-  
 riorum vnum verum, alterum falsum est. Quoniam igitur non  
 dabilis est casus, frustra quæras: an in casu isto dogma Theo-  
 logicum exploratum ad sententias Philosophiæ VVolfßiane liceat  
 conformare? Fac autem (non accuso, sed singo), sententiam  
 Philosophiæ VVolfßiane falsam esse, quod erat membrum post-  
 riens. Quis tam erit peruersæ mentis, vt veritatem, ex S. Scrip-  
 tura vel fidei analogia exploratam, licite mutari vel reici dic-  
 cat, quia repugnet sententiae Philosophiæ VVolfßiane falsæ &  
 erroneæ? Fateor, nullo modo licere, vt hoc sensu Theologia  
 Reuelata ad sententias Philosophiæ VVolfßiane accommodetur.  
 Me autem si eiusmodi conformatioonis Theologia Reuelata ad  
 Philosophiæ VVolfßiane sententias accusas, nego, veram accu-  
 sationem esse, & pro veritate fieri negationem, exemplis in sce-  
 nam productis, semper sum ostensurus. E contrario pro adser-  
 tionibus, quæ nec in S. Scriptura, nec in analogia fidei, nec in  
 ratione sana certum immotumque fundamentum habent, adeo-  
 que non sunt veritates Theologicae, sed tantum opiniones vnius  
 vel alterius Theologi, meliora & certiora substituere, quis pro-  
 hibebit? Veritatem biblicam & opinionem Theologi quisquis  
 eodem pretio habet, ille diuina ab humanis, infallibilia a falli-

bilibus nescit discernere. Quibus omnibus ita clarissime ante oculos positis, Dn. Opponens cum postulato suo, ut demonstretur, quod liceat Theologiam revelatam ad sententias Dn. VVolffii refingere, quodque Theologia revelata ad effigiem Philosophiæ VVolffianæ (qua dogmata; de hoc enim iam disputamus) expressa, pro Theologia Lutheranorum habenda sit; verat se, quorsumcunque velit, nusquam inueniet sedem, ad me oppugnandum, tutam.

## §. 126.

*An conformatio  
matio Theo-  
logie ad Phi-  
losophiam  
Wolffianam  
& huius in  
illa v/sus sint  
idem?*

Enim vero ab efformatione Theologæ ad Philosophiam Wolffianam toto cœlo distat Philosophia Wolffianæ in Theologia v/sus, qui in hoc positus est, vt, supposito v/su formalí qua præcepta Logica, dogmata Philosophiæ VVolffianæ certa veraque, ad veritates Theologicas confirmandas & illustrandas, vel ad nexus veritatum Theologicarum, saluis conclusionibus Theologicis, perficiendum, ne hiatus saltusqué reperiantur in demonstrando, adhibeantur. Hunc vsum non licitum tantum, sed rectum etiam esse, adsero & defendo. Namque si dudum Theologi agnouerunt, veritates rationis sanæ in Theologia non vsum formalem tantum, sed materialem etiam habere, cur, quæsto, ab v/su propositionis philosophica in Theologia ideo abstinentendum est, quia in Philosophia VVolffii illa deprehenditur? quia in illa legitime demonstratur? An forsan ideo falsa sit propositio, quia VVolffius dicit? Fateor etiam, v/sus illius Philosophiæ VVolffianæ recti varia in Theologia mea exstare exempla. Ita e. g. verba S. Scripturæ etiam ~~deponita~~ esse, quod multis dubium, saltim supervacuum vsum est, ex dogmatibus Philosophiæ VVolffii ita confirmavi, vt nil, quod excipias, supersit Theol. Reu. §. 142. n. 3. Sch. 1. Quid in eo a me peccatum est? Nouimus ex Theologicis, animam Christi in se spectatam esse ens finitum, & hinc quarundam rerum ignaram. Hinc concludo,

do, fieri potuisse, vt quæ impossibilia videbantur ante, ea possibilia & quæ possibilia, ea impossibilia esse, cognosceret. At Ill. VVolffius illum *mirari* dicit, qui quod impossibile putasset, possibile, & quod possibile putasset, impossibile esse deprehendit, vid. Ei. Phil. Mor. Germ. §. 346. Hinc concludo, admirationem in anima Christi in se spectata locum potuisse habere; Diff. de Anima Christi §. 75. An in eo errau? An Deus postulat, vt rectæ rationis usum in Theologia eieremus? An manum sinistram dextræ adiumento esse, peccatum est? Nunquam nocebit usus legitimus, modo abstineas ab abusu,

## §. 127.

At quid multa dispu? In pagina penultima iam versor singularium, & etiam si toties efformationem Theologiæ reuelat, ponens illius definitionem, quid per istam efformationem intelligat? vt adeo facere non possim, quin credam, efformationis illius notionem ipsi & que obscuram esse, ac erat singularium (§. 115.). Non miror igitur, quod usum Philosophiæ Wolffianæ in Theologia legitimum & efformationem Theologiæ ad dogmata Philosophiæ Wolffianæ, quæ diuersissima sunt (§. 125, 126.), habeat pro eodem. Nam vel homines arbores esse putabat ille, qui imperfecto gaudebat visu Marc. VIII, 22, seqq.

## §. 128.

At nec illud reticendum est, quod in aperta contradictione *Contradiccio* Dn. Opponens versetur. Dum enim sepissime efformationem *Dn. Oppo-* Theologiæ ad Philosophiam VVolffianam eiusque sententias *nemesis*, mihi obtrudit, irritoque conatu tandem, vt Theologiam, ad effigiem Philosophiæ Wolffianæ expressam, Lutheranam esse, demonstretur, postulat, non amplius eius memor est, quod quæ nihil priuatuum dissensum inter me VVolffiumque ipse no-

182 CAP. VI. DE SINGVL. THEOL. CARPOV. QVID SENTIEND.

tarit an. 22. p. 39, quod ipsum ill. VVolffium in doctrina de possibili mundi æternitate μετὰ πολλῆς φωταρίας aduersus me sermocinantem in scenam produxerit an. 6. p. 109, quod meam distinctionem inter mundum præsentem & alium reicerit ideo, quod eius ne minimum vestigium, ipso iudice, sit in scriptis VVolffii an. 5. p. 109, quod ipse scriperit, videndum mihi esse, quomodo cum Leibnitio in gratiam redeam an. 2. p. 97. Si rerum intelligens, si æquus, si Christianus doctrinarum mearum æstimator esset Dn. Clugius, ex his, qua ipse notauit, non cœcum me VVolffii, nec Leibnitii, nec aliis cuiusquam sectatorem esse, nec ylliis in Magistri verba iurasse, sed illa tantum, vt ex aliorum, sic etiam ex VVolffii scriptis amplecti, & ad ysum debitum transferre, de quibus ipse conuictus sum, cognosceret. At quia ipsi non veritatem querere, sed fidem Theologiae meæ infringere, me ipsum autem obtrectare, animus est, manuult ipse sibi, a quo omnis alias sana mens abhorret, aperte contradicere, quam æquitatem sequi & veritatem.

§. 129.

*Conclusio.*

Vides, Lector, quid Theologiae meæ opposuerit Dn. Clugius. Vides, quid sit responsum. Evidem iam quoque peculiarem de eo instituere possem disquisitionem, quid de singularibus Clugianis sentiendum sit? At quia in tota hac defensione, omnia eorum opposita mihi momenta falsitate & absurditate se ipsa destruere, vberime ostensum est & demonstratum, adeo vt nihil Dn. OppONENTI præter conuictiorum & obtrectationum viam supersit, labore isto supersedeo, tempus impendens vilioribus, & in votis habens, vt genuinos veritatis defensores in illa confirmet, præposteros autem corrigat & emendet ille, cuius gloria & laus summa omnium rerum est

F I N I S.



## INDEX RERVM AD SERIEM PARAGRAPHORVM.

### A.

**A**Epinus an, in definitionibus nihil negatiui & priuatiui constituendis, non satis considerate egerit? 31.

**A**ternitas eius diuisio in fixam & successiuam an inferat, me docere, quod mundus ab eterno sit vel possit esse? 104. extrinseca & successiuam sint idem? 109.

**A**postoli, quomodo præstiterint miracula, quæ præstiterunt? 59. an sint miraculorum, ab ipsis præstitorum, causa efficiens instrumentalis? 67, an sint miraculorum, ab ipsis editorum, causa efficiens instrumentalis moralis? 69 80. qualis sint miraculorum, ab ipsis editorum, causa secundum mentem Dn. Clugii? 81, an sint miraculorum, ab ipsis editorum, causa occasionalis? 83.

**A**ttributorum entis incomunicabilitas an repugnet communicatio idiomatum in Christo? 78.

### B.

**B**rutum an possit loqui pro def. Clugiana? 42.

### C.

**C**ausa sociæ an earum definitio recte in Thæologia data sit? 52,

an nostra de illis definitio recte formata sit? 53.

**C**ausa efficiens quid? 52, efficiens principalis quid? 64. efficiens instrumentalis quid? 66. moralis & moralis instrumentalis quid? 68, moralis instrumentalis an sit monstrum metaphysicum? 80. n. 3. occasionalis quid? 83.

**C**hristus quo sensu sit vitis? 37, Sch. an Ioh. XI, 41. preces ei tribuenda? 73. Sch.

**C**reatio quid sit? I. IV. an in nostra de illa definitione genus remoto rematum prælatum proximo? 7. an per terminos obscuros, impro prios, vagos a nobis definita? 8. an due eius definitiones a nobis datae? 9. an auctoris definitio de illa redundantia labore? 10. an sit definitio angustior? 11. an sit latior? 12. an ex illa ostendum sit, nil ante creationem huius mundi præter Deum existisse? 13. an possit conuerti? 14. an nominalis? & ideo reiicienda sit? 15. an biblica? 18. ex nihilo an satis in tuto sit per meam nihil priuatiui definitionem? 30. mundi per quid facta sit? 34. an facta sit per sermonem proprie

## INDEX RERUM

prie talēm? 36. 37. an facta per  
meram voluntatēm Dei inter-  
nam? 38. eius causa moralis in-  
strumentalis an possit esse crea-  
tura? 89. an sit miraculum? 91.  
92. ab ēterno quod impossibilis  
sit, an recte a Dn. Clugio de-  
monstratum? 106. ab ēterno si  
possibilis dicatur, an hoc destruat  
argumentum pro Diuinitate & ab  
āternitate petitum? 109.

### D.

*Decreti* de creando ēternitatēm  
an auctor euerat? 95.  
*Definitio* quot criteria rei in illa po-  
nenda sint? 3. quomodo formari  
soleant in Theologia? 4. cur au-  
tor vulgarem modum eas for-  
mandi missam fecerit? 5. The-  
ologica an debeat omnia illa, quæ  
S. Scriptura de re quadam co-  
gnoscenda tradit, velut in com-  
pendio exhibere? 6. creationis,  
vid. Creatio. an in illa ponenda,  
quæ ex illa demonstrari possunt? 7.  
ex Philosophia in Theologiam  
translata, an ab auctore Theolo-  
gica dicta sit? 16. ex Philosophia  
sumpta quo iure principium de-  
monstrationis in Theologia con-  
stituatur? 17. Theologica an  
semper verbis biblicis exprimen-  
da sit? 18.

*Demonstratio* theseos, a nemine li-  
cer negata, quem vslum præstet? 85.  
eius rigor in certa quadam  
disciplina an tollatur per suppo-

sita ex alia disciplina? 117. Sch.  
1. n. 7.

*Deus* an in creatione sermonem  
proprie talēm fecerit? 36. an sit  
causa efficiens miraculorum, a  
thaumaturgis præstitorum? 63.  
an eorum causa efficiens princí-  
palis? 65. an poterit pro Phi-  
losophia Wolffiana alium mun-  
dum creare? 99. an in eo delibe-  
ratio præcedat decretum? 106.  
n. 4.

*Dies* creationis sex an recte de spa-  
tiis temporum 24. horarum fu-  
erint explicati? 111.

*Discretio* inanis quid sit? 99.

*Doctrinam* vnam ad alteram accom-  
modare quid sit? 125.

### E.

*Ens* per eminentiam quid? 39.

*Essentia* specifica & numerica mun-  
di an debeant a se inuicem dis-  
tingui? 101.

*Etymologia* an inde termini claris-  
tas astimanda? 8.

*Existimatio* eruditorum vnde asti-  
manda? 117. Sch. 3. n. 2.

### F.

*Facultas* & *potestas* an possit ho-  
mini subiectiue inhærente? 57.  
quomodo cum thaumaturgis  
communicata fuerit? 61. an fuc-  
tit cum omnibus illis commu-  
nicata, ad quorum voluntatem  
Deus præsticit miraculum? 71. n.  
8. creandi an & quomodo pos-  
sit

## AD SERIEM PARAGRAPHORVM.

sit cum homine communicari? 84. de illa quæstiones quas auctor in Theologia omiserit? 86. eam cum creatura nuda communicari non posse, an recte dictum sit? 87. quomodo possit cum homine communicari? 88.

*Fides* miraculosa cur in thaumaturgo fuerit requisita? 71. n. 7.

*Filius* Dei an argumentum pro Divinitate eius sit saluum, posta creatione mundi ab eterno possibili? 109.

**G.**

*Gettingensis* quid sentiant de auctoris Theologia? 117.

**H.**

*Hebr.* XI, 3. an hic locus ab auctore depravatus sit? 114.

*Hirundo* quot sufficient ad ver faciendum? 31.

**I.**

*Iosua* quomodo præstiterit miraculum? 58. Sch.

*Index* externus an ad præsentem controversiam dirimendam opus sit? 116.

**L.**

*Leibnitius* an cum eo conciliatio querenda sit auctori? 93.

*Lex* eius transgressio ex præcipitania orta an sit peccatum? 117. Sch.

I. n. I.

*Lippsensis* quid sentiant de auctoris Theologia? 117. an ex eorum

iudicio auctor sit detestabilis? 117.

Sch. 2.

*Loca biblica* de iis non excitatis que rela inepta? 54. 93. 94.

*Διός προσόντος* quotuplici sumatur sensu? 49.

**M.**

*Miracula* per thaumaturgos facta.

quid de illis auctor concedat? 55.

an illa facta sint per facultatem

*γνωστερίαν*, subiectae illis in-

harentem? 57. a Mose edita quo-

modo Moses præstiterit? 58. a Lo-

sua & prophetis edita, quomodo

hi præstiterint? 58. Sch. ab apo-

stolis edita quomodo hi præstite-

rint? 59. & speciatim Petrus? 59.

Sch. a thaumaturgis edita

que sensu a Deo ad voluntatem

thaumaturgorum præstata dicantur

ab auctore? 60. ea præstandi

facultas quomodo cum thauma-

turgis fuerit communicata? 61.

a thaumaturgis præstata, an co-

rum causa efficiens & Deus &

homo? 62. an eorumdem causa

efficiens principalis Deus? 65.

an eorumdem causa efficiens in-

strumentalis apostoli? 67, an hi

eorum causa instrumentalis mo-

ralis? 69, an pro nostra explica-

tione modi his vere tribuenda

sint? 70. an pro nostra explica-

tione negetur, thaumaturgos mi-

racula fecisse? 76, an thauma-

turgi recte dicantur eorum causa

Aa

mora-



## INDEX RERUM

moralis instrumentalis? 80. an thaumaturgi eorum causa instrumentalis singularis? 81. quomodo a thaumaturgis facta, an novo modo auctor explicuerit? 82. an eorum, quæ thaumaturgi præstiterunt, hi sint causa occasionalis? 83.

*Mosæ* quomodo præstiterit miracula sua? 48.

*Mundus* an ex nihilo priuatiuo pro auctoris def. tali creatus sit? 22, an etiam pro def. Clugiana? 23, an ex nihilo negatiuo creatus sit? 25, per quid a Deo creatus sit?

34. 28. utrum ab æterno creari potuerit, nec ne? an hac quæstio celebris sit? 96. an pro def. Wolffii sit accidentis? 97. an pro eadem eius creatio ex nihilo obsecetur? ib. an pro eadem creetur adhuc semper? ib. an pro eadem transnaturatio mundi ex causis naturalibus futura esse dici debeat? ib. præsens quisnam vocetur ab auctore? 98. existens an recte a possibilibus tantum distinguitur? 99. alias an potuerit a Deo secundum Philosophiam Wolffianam creari? 99. eum ab æterno creari non potuisse, an fuerit in Theol. Reu. ex ratione demonstrandum? 100, præsens quod non potuerit ab æterno creari, an recte auctor probauerit? 101. æternus utrum a Deo creati potuerit nec ne? non decidendo,

an auctor peccauerit? 102. cur de illo auctor sententiam suspedat? 103. eum esse vel esse posse ab æterno, an sequatur ex diuinitate æternitatis in fixam & successivam? 104. ab æterno creatibilis quod repugnans sit, an recte a Dn. Clugio demonstratum? 106, an per creationem eius ab æterno possibilem eneruerit argumentum pro Deitate *λόγος*, ab æternitate petitum? 109.

*Mutus* an loqui possit pro def. Clugiana? 42.

### N.

*Nihil* quotuplex sit auctori? 19, quomodo vulgo diuidatur? & quid proprie Dn. Clugius ita vocet? 21. nihil negatiui & priuatiui definitiones cur ita, nec aliter auctor posuerit? 27. nihil priuatiui definitio Carponiana an reprobanda sit? 28. an per eam creatio mundi ex nihilo satis in tuto sit? 30.

### O.

*Opera hexameri* Mosaici an secundum principia physica sint explicanda? 113.

### P.

*Paulus* quomodo sanauerit agrotos per sudaria? 80.

*Petrus* quomodo sanauerit claudum Act. I. i? 59 Sch. quomodo agrotos per umbram suam? 80.

*Plagium* an auctor illius reus? 92.

*Proprio-*

MVII. AD SERIEM PARAGRAPHORVM.

*Propositio vniuersalis quælibet an possit simpliciter conuerti?* 71.  
n. 8.

*Psychologia sacratissima de anima Christi, an ea carere possit Theologia Reuelata?* 117. Sch. 3. n. 3.

*Puncta vocalium & accentuum, an a Iudeis veterioribus pro genitoribus habita?* 117. Sch. 1. n. 5. cur a Iudeis recentioribus in Codicibus S. Hebreis omittantur? ib.

Q.

*Quæstionem celebrem quam vocet auctor?* 96. difficilem & non necessariam indecisam relinquere, an peccatum sit? 102.

R.

*Reuelationis vere diuinæ criterium vnicum de medio reconciliacionis an sufficiat?* 117. Sch. 1. n. 3.

S.

*Sermo quid sit?* 35. an propriæ talem Deus in creatione formauerit?  
36. 37. per eminentiam talis quid sit? 39. Deo creanti tributus an per eminentiam talis sit?

40. an recte a Dn. Opponente definitus per manifestationem cogitationum, in mente latenter, per signa? 42. Dei creantis quod proprius fuerit, an recte a Dn. Clugio probatum? 45. Dei creantis an possit simul proprie & per eminentiam talis esse?  
46. Dei creantis si proprius fuisse negetur, an singulare sit? 47.

Dei creantis quod proprius non fuerit, an recte ab auctore in Theol. Rea. probatum sit? 48.

Dei creantis quod per vocem articulatam factus non sit, an recte Dn. Clugius probauerit? 48. Sch. 1.

*Sibyllina vaticinia de Christo an diuinæ originis esse dici possint?* 117. Sch. 1. n. 4. an interpretationes eorum de Christo sint arbitriae? ib.

*Singularia an dentur in Theologia auctoris?* 115.

*Signa distinctionum N.T. Graci quid de illorum origine auctor sentiat?* 117. Sch. 1. n. 6.

*Sleuogtin an modum, secundum quem thaumaturgi miracula ediderunt, ita, vt auctor, explicet?* 79.

*Studioſi an pedibus loqui possint pro def. Clugiana?* 42.

T.

*Terminus eius claritas unde extimanda?* 8.

*Theologian auctor in eos quidquam acerbi dixerit?* 6. an auctor ab iis dissentiat in nihilo, ex quo mundus creatus? 26. an eorum existimationem auctor minuerit per Dissert. de anima Christi? 117. Sch. 3. n. 2.

*Theologia noua an ab ea cauendum?* 82. an in ea possint nouæ veritates inueniri? 117. Sch. 2. suam an

A a 2

auctor

## INDEX RERUM AD SERIEM PARAGRAPHORVM.

auctor scripsiterit ex suggestione  
diaboli? 118. ob eam editam an  
auctor excusatione opus habeat?  
119. an in illa methodum S. Scri-  
pturæ sequi debuisset auctor? 120.  
an ad eam emendandam auctor  
obligetur? 121. an liceat eam ad  
methodum Wolffii accommoda-  
re? 124. an ad sententias Philo-  
sophiæ eius? 125. eius ad Philo-  
sophiam Wolffianam accommoda-  
tio, & huius in illa vſus an fint  
idem? 126.

Theologicarum & Philosophicarum  
rerum an inita permixtio sit, si  
definitio quaedam, qua opus est,  
ex Philosophia in Theologiam  
transferatur? 52. rerum ~~an~~ quotuplici modo possit ex dictis  
biblicis formari? 54. in iis an au-  
tor imperitium & imbecillita-  
tem suam Principi aperire debu-  
git? 120.

### V.

*Verbum*, quo Deus mundum crea-  
uit, quid denotet? 41.

*Veritas* an ex copia suffragiorum

estimanda sit? 21. an ex persona  
loquentis? 48. Sch. 2. nouæ ar-  
possint in Theologia inueniri?

117. Sch. 2.

*Voluntas Dei*, qua mundum creavit,  
an fuerit mera interna? 38.

### VV.

*Wertheimensis* interpres S. Scri-  
ptura an recte auctori adiunga-  
tur? 83. Sch.

*Wolffius* an propter eius consensum  
falla sit nostra explicatio modi de  
miraculis, a thaumaturgis editis?  
73. an auctor cum eo errare ma-  
lit, quam eum non sequi? 75. eius  
sententia de modo miraculorum,  
a thaumaturgis editorum, quo-  
modo explicanda? 77. quo sensu  
doceat, quod e sola mundi con-  
tingentia existentia Dei possit  
demonstrari? 110. an Philo-  
sophiam eius auctor in coelum vs-  
que euerxit? 117. Sch. 3. n. 2.  
an ad Philosophiam eius Theo-  
logiam qua methodum accom-  
modare liceat? 124. an qua  
dogmata? 125.

### Errata.

Pag. 8. lin. 7. ~~Δια~~ lege ~~Θεο~~. Pag. 23. l. 6. Oponens lege Opponens.  
Pag. 32. l. 23. vocauerin lege vocauerit. Pag. 46. l. 26. procedat lege  
procedit. Pag. 43. l. 9. deſtructio lege deſtructa. Pag. 70. l. 2. in nixam  
lege innixam, lin. 22. datum lege datum. Pag. 73. l. 25. corum adde (apo-  
ſtolorum). Pag. 79. l. 23. ~~διάγραμμα~~ legē ~~διάγραμμα~~. Pag. 82. l. 4. ex dele. Pag.  
88. l. vlt. cūmunicari lege cūmunicari. Pag. 104. penult. nec dum  
necdum. Pag. 114. l. 16. At obiicis At obiicis. Pag. 119. l. 9. quatuor  
lege quinque. Pag. 151. l. 1. locum lege locorum.

Ig 2804-<sup>d</sup> F  
(x2258379)





2.

INANIA  
SINGVLARIVM  
CLVGIANORVM  
**THEOLOGIÆ**  
**CARPOVIANÆ.**

---

AD  
AMPLIVS ILLVSTRANDAM ET  
DEFENDENDAM DOCTRINAM  
DE  
**CREATIONE**  
OPPVGNATAM  
IN VVLGV S EDIDIT  
M. IACOB CARPOV  
ILL. GYMNASII VINARIENSIS RECTOR.

---

LIPSIAE ET IENÆ  
IMPENSIS IO. ADAM MELCHIOR.  
M DCC XXXVIII.

